


MONVMENTA VIAEQVE

In honorem et memoriam Iohannis Ørberg



*Historia testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra
vitae, nuntia vetustatis*
(Cic. *De or.* II, 9, 36)

Longum iter est per praecepta, breve et efficax per exempla
(Sen. *Ep. ad Luc.* VI, 5)

Romae, a die IX ad diem XVI m. Iulii a. MMX

Adolescens ingenuus, ingenio abundans, et vestigiis ducis periti ingrediens, non solum sermonem Romanum plene cognoscere, sed et sublimiora perdiscere bene poterit; [...] Nihil est in natura rerum, quod ita mores erudiat, ut litterarum studia, nihil tam in omnes partes fusas utilitates habet, quam humanitas et doctrina.

(Iohannis Caselii *De lingua Latina addiscenda dissertatio*, 1575)

Instituto Philosophiae studiis provehendis patrocinate, *Vivario Novo* et opere fundato, cui nomen *Mnemosyne* foveantibus, Sodalitate iuvenum antiquitati humanitatisque studentium, quae *PHILIA* compendiariis litteris inscribitur ordinante, eo consilio, ut produceretur et augetur inceptum illud iam pridem conventibus omnium gentium quorum nomina *Docere* (habitus Neapoli et Montellae anno MCMXCVIII), *Humanitas* (Neapoli, MMVII) et *Litterarum Vis* (Segedini et Budapestini, MMVIII) initum, novissimus nunc nec praeteritis minor conventus celebratur, qui *Monumenta viaeque* titulo inscribitur. Illud enim in animo est, ut hinc novas atque efficaciores rationes linguarum antiquarum docendarum proponantur in memoriam honoremque Iohannis H. Orbergii (qui, verus restitutor Linguae Latinae iuxta naturae rationem docendae, supremum vitae diem nuper obiit), illinc vero disputationes minime steriles de monumentis litterarum agitentur, non secundum frigidam academicorum consuetudinem, sed argumenta eo modo tractando ut revera exploremus quemadmodum doctrinae patrimonium a maioribus per rem publicam litterarum servatum ac traditum, potissimum in iuvenibus erudiendis necnon ad societatem meliorem reddendam adjuvare possit. Viri docti igitur convocati sunt ex toto orbe terrarum ut hanc mutationem, quae cum in scholis, universitatibus et academiis, tum in toto civili ordine atque in omnibus terris ad occidentem solem vergentibus desideratur, incrementis augeant, foveant ac promoveant.

L

Quantam praeterea vim atque pondus academiae ad cultum Europaeum provehendum habuerint hoc in conventu erit etiam perpendendum. Illae enim in humanitate doctrinisque fovendis partem vel maiorem quam Studiorum universitates habuerunt, “tamquam incitamentum” ut ait Iohannes Henricus Newman ille “ad philosopham inquisitionem et mentem totius hominum societatis amplificandam.” In his enim quaedam felix atque uber studiorum ratio orta est, qua fructus variarum disciplinarum eorumque cultorum ingenia animique arctissimo quodam vinculo coniungebantur; per eam igitur rationem ad verum et utilem doctrinarum progressum est perventum. “Etenim cum libere in Academiis doctorum virorum animi consentirent conspirarentque,” ut pulchre scripsit Marcus Fumaroli, “spiritus, redintegrata doctrina, litterae artesque liberales quae nunc sunt, suam invenerunt quasi aediculam, simul flexibilem et firmam, stabilem et mutabilem, quae eius frugiferae naturae conveniebat”.

Adolescens ingenuus, ingenio abundans, et vestigiis ducis periti ingrediens, non solum sermonem Romanum plene cognoscere, sed et sublimiora perdiscere bene poterit; [...] Nihil est in natura rerum, quod ita mores erudiat, ut litterarum studia, nihil tam in omnes partes fusas utilitates habet, quam humanitas et doctrina.

(Iohannis Caselii *De lingua Latina addiscenda dissertatio*, 1575)

L'Istituto Italiano per gli Studi Filosofici, insieme all'Accademia *Vivarium novum*, alla Fondazione *Mnemosyne* e all'associazione internazionale di giovani studiosi del mondo classico e umanistico *Philia*, continuando l'azione intrapresa con i convegni internazionali *Docere* (Napoli-Montella 1998), *Humanitas* (Napoli 2007) e *Litterarum vis* (Szeged-Budapest 2008), hanno organizzato un nuovo grande congresso mondiale, *Monumenta viaeque*, che da una parte (in memoria e in onore del grande innovatore del sistema induttivo-contestuale per l'insegnamento del latino Hans Henning Ørberg, recentemente scomparso) vuol proporre **nuove ed efficaci metodologie didattiche per l'insegnamento delle lingue classiche**, dall'altra vuole sviluppare un dibattito non sterilmente accademico sui *monumenta litterarum*, ossia su **quanto il patrimonio culturale a noi tramandato dalla res publica litteraria europea possa contribuire alla formazione dei giovani e a un rinnovamento dell'intera società**. Sono stati convocati a raccolta centinaia di studiosi di tutto il mondo per cercare di promuovere sempre più un movimento, nel campo dell'umanesimo, di cui si sente una profonda esigenza nelle scuole, nelle università, nelle accademie, e nel corpo civile di tutto il mondo occidentale.

Il convegno vorrà inoltre valorizzare il ruolo delle Accademie nella storia della cultura europea, sottolineando come esse, ancor più delle Università, nelle parole di John Henry Newman,

I

abbiano agito “come strumenti di stimolo alla ricerca filosofica e d’estensione della nostra conoscenza”: nelle Accademie infatti si sviluppò una forma di fertile collaborazione tra le scienze e tra i cultori dei vari campi di ricerca; collaborazione e dialogo che portarono a un reale avanzamento del sapere umano: “è in tale forma di libera cooptazione e di cooperazione creatrice,” come ha scritto bellamente Marc Fumaroli, “che la vita dello spirito, la nuova scienza, le lettere e le arti moderne trovarono la cornice, ad un tempo duttile e rigorosa, statica ed evolutiva, che conveniva alla loro natura feconda.”

Adolescens ingenuus, ingenio abundans, et vestigiis ducis periti ingrediens, non solum sermonem Romanum plene cognoscere, sed et sublimiora perdiscere bene poterit; [...] Nihil est in natura rerum, quod ita mores erudiat, ut litterarum studia, nihil tam in omnes partes fusas utilitates habet, quam humanitas et doctrina.

(Iohannis Caselii *De lingua Latina addiscenda dissertatio*, 1575)

The Italian Institute for Philosophical Studies, with the *Accademia Vivarium novum*, the foundation *Mnemosyne*, and *Philia*, an association of young people devoted to classical and humanistic studies—carrying on the initiative of the international conferences *Docere* (Naples-Montella 1998), *Humanitas* (Naples 2007) and *Litterarum vis* (Szeged-Budapest 2008) – have announced a major international congress, *Monumenta viaeque*. This congress will have two objects: to propose **new, effective pedagogical methods for teaching Latin and Greek** (thus honoring the memory of the late Hans Henning Ørberg, an outstanding innovator in the use of an inductive, contextual approach to Latin pedagogy); and to open a vigorous discussion on **how the *monumenta litterarum* – the cultural heritage handed down to us from the Western *res publica litteraria* – might breath new life into liberal education and society as a whole**. Hundreds of students and scholars from the entire world have been gathered as part of a growing movement to renew and reinvigorate humanistic studies – a movement seeking to meet a need deeply felt by schools, universities, scholarly associations, and society as a whole.

The congress also seeks to valorize the role of academies and other scholarly associations in the history of our cultures, by showing how they – even more than the universities – have acted “as instruments of stimulating philosophical inquiry, and





extending the boundaries of our knowledge”, as John Henry Newman wrote. The academies provided a fertile terrain for collaboration between scholars from various disciplines, and the dialogue they initiated triggered a real advance in human knowledge. “It was through this form of free and creative cooperation,” as Marc Fumaroli has written, “that the life of the mind, the new sciences of nature, and modern art and letters reached that summit – at once malleable and rigorous, static and evolving – that suited their fecund, dynamic nature.”

Adolescens ingenuus, ingenio abundans, et vestigiis ducis periti ingrediens, non solum sermonem Romanum plene cognoscere, sed et sublimiora perdiscere bene poterit; [...] Nihil est in natura rerum, quod ita mores erudiat, ut litterarum studia, nihil tam in omnes partes fusas utilitates habet, quam humanitas et doctrina.

(Iohannis Caselii *De lingua Latina addiscenda dissertatio*, 1575)

L'institut italien pour la philosophie, ainsi que l'académie *Vivarium Novum*, la fondation *Mnemosyne* et l'association internationale des étudiants des lettres classiques et humanistes *Philia* organisent, dans la lignée des congrès internationaux *Docere* (Naple et Montella, 1998), *Humanitas* (Naple 2007) et *Litterarum vis* (Szeged-Budapest 2008), un nouveau séminaire nommé **Monumenta viaeque**. Celui ci traitera tout d'abord, en mémoire du défunt Hans Hennig Ørberg, innovateur dans le domaine de l'enseignement par approches intuitivo-contextuelles, des idées méthodologiques et didactiques pour l'enseignement efficace des langues anciennes. D'autre part, des débats auront lieu pendant lesquels nous éprouverons combien les *monumenta litterarum*, l'héritage culturel qui nous a été transmis par la *res publica litteraria* européenne, peut contribuer à la formation des générations futures et à un renouvellement de notre société. Des centaines d'experts de tous les horizons se sont donc rassemblés pour tenter d'amplifier toujours plus un mouvement tendant au renouveau des études humanistes, qui répond à une nécessité pour les écoles, universités, académies et toute la société occidentale.

Le congrès a aussi pour but de valoriser le rôle des académies et autres institutions de ce type vis-à-vis de l'histoire et de la culture européenne, en montrant « à quel point elles favorisent la recherche philosophique et l'augmentation de notre connaissance »,

F

comme l'a dit John Henry Newman, et ce encore plus que les universités. Ces académies ont en effet permis une collaboration fertile entre les experts de différentes disciplines, et les dialogues ainsi enclenchés ont rendu possible un réel bond en avant pour les sciences humaines. Comme l'écrit Marc Fumaroli : « *C'est sous cette forme de cooptation libre et de coopération créatrice, que la vie de l'esprit, la nouvelle science, les lettres et les arts modernes trouvèrent le cadre à la fois souple et rigoureux, stable et évolutif, qui convenait à leur fécondité.* »

Adolescens ingenuus, ingenio abundans, et vestigiis ducis periti ingrediens, non solum sermonem Romanum plene cognoscere, sed et sublimiora perdiscere bene poterit; [...] Nihil est in natura rerum, quod ita mores erudiat, ut litterarum studia, nihil tam in omnes partes fusas utilitates habet, quam humanitas et doctrina.

(Iohannis Caselii *De lingua Latina addiscenda dissertatio*, 1575)

El Instituto italiano de estudios filosóficos, en colaboración con la academia *Vivarium novum*, la fundación *Mnemosyne* y la asociación internacional de jóvenes estudiosos del mundo clásico y humanístico *Philia*, continuando la labor emprendida en los congresos *Docere* (Nápoles-Montela 1998), *Humanitas* (Nápoles 2007) y *Litterarum vis* (Szeged-Budapest 2008), han organizado un nuevo congreso mundial, **MONVMENTA VIAEQVE**, que por una parte (en memoria y honor de Hans Henning Ørberg, recientemente fallecido) desea proponer **metodologías didácticas innovadoras y eficaces para la enseñanza de las lenguas clásicas**, y por la otra desea plantear un debate, que sea académicamente fructuoso, sobre los *monumenta litterarum*, es decir, **la medida en la que el patrimonio cultural transmitido por la *res publica litteraria* europea pueda contribuir a la formación de los jóvenes y a la renovación de la sociedad entera**. Han sido convocados cientos de estudiosos de todo el mundo para intentar promover cada vez más un movimiento, en el campo del humanismo, del cual se siente una gran exigencia en las escuelas, en la universidad, en las academias y en el cuerpo civil de todo el mundo occidental. Con este congreso, también se espera valorizar el papel de las Academias en la historia de la cultura europea, destacando cómo ellas, incluso más que la Universidad, en palabras de John Henry Newman, han actuado “como estímulo a la investigación filosófica y al aumento de nuestro saber”; de hecho, en las

H

Academias se descubrió una colaboración fértil entre la ciencia y aquellos que cultivan la investigación en varios campos, colaboración y diálogo que llevaron a un real avance del saber humano: “en tal forma de colaboración libre y creadora”, como dice Marc Fumaroli, “que la vida del espíritu, la nueva ciencia, las letras y las artes modernas encontraron una cornisa, al mismo tiempo dúctil y rigurosa, estática y evolutiva, que convenía a su naturaleza fecunda.”

Adolescens ingenuus, ingenio abundans, et vestigiis ducis periti ingrediens, non solum sermonem Romanum plene cognoscere, sed et sublimiora perdiscere bene poterit; [...] Nihil est in natura rerum, quod ita mores erudiat, ut litterarum studia, nihil tam in omnes partes fusas utilitates habet, quam humanitas et doctrina.

(Iohannis Caselii *De lingua Latina addiscenda dissertatio*, 1575)

Das Italienische Institut für Philosophische Studien veranstaltet in Zusammenarbeit mit der Akademie *Vivarium Novum*, der Stiftung *Mnemosyne* und der internationalen Vereinigung junger Wissenschaftler auf dem Gebiet der klassischen und humanistischen Welt PHILIA, einen neuen internationalen Kongress, **MONUMENTA VIAEQUE**, und setzt damit die mit den internationalen Kongressen *Docere* (Neapel/Montella 1998), *Humanitas* (Neapel 2007) und *Litterarum Vis* (Szeged/Budapest 2008) begonnene Arbeit fort. Dieser Kongress will einerseits im Gedenken und zu Ehren des kürzlich verstorbenen großen Erneuerers des induktiv-kontextualen Systems im Lateinunterricht Hans Henning Ørberg **neue und effektive Lehrmethoden für den altsprachlichen Unterricht** vorstellen, andererseits aber eine lebendige Debatte anregen über die **Monumenta Litterarum** oder **inwieweit die das uns von der europäischen *Res publica Litteraria* überlieferte kulturelle Erbe einen Beitrag zur Bildung der Jugend und Erneuerung der gesamten Gesellschaft leisten kann**. Eingeladen sind mehrere hundert Gelehrte aus aller Welt, um eine Bewegung auf dem Gebiet des Humanismus zu befördern, nach der die Schulen, die Universitäten, die Akademien und die Gesellschaft der gesamten westlichen Welt ein tiefes Bedürfnis verspüren. Der Kongress will zudem die Rolle der Akademien in der

G

europäischen Kulturgeschichte neu bewerten und betonen, in welchem Ausmaß diese, mehr noch als die Universitäten, mit den Worten von John Newman, “als Vermittler eines Stimulus zur philosophischen Forschung und zur Erweiterung unseres Wissens” gewirkt haben: In der Tat hat sich in den Akademien zwischen den Wissenschaften und zwischen den Gelehrten verschiedener Forschungsgebiete eine Form fruchtbarer Zusammenarbeit entwickelt, eine Zusammenarbeit und ein Dialog, die zu einem wirklichen Fortschritt in der menschlichen Erkenntnis geführt haben: “Es ist in einer solchen Form einer freien Interessengemeinschaft und kreativen Zusammenarbeit”, wie Marc Fumaroli schreibt, “wo das Geistesleben, die neue Wissenschaft, die Literatur und die moderne Kunst einen Rahmen gefunden haben, der zugleich elastisch und fest, statisch und entwicklungsfähig ist, wie er ihrer fruchtbaren Natur angemessen ist.”

Veneris die IX m. Iulii

IN SEDE ACADEMIAE VIVARII NOVI

Participes in Academiam *Vivarii novi* recipientur (quae secus viam a Conrado Barbagallo nuncupatam sita est, in aedibus numero XX signatis)

13.00 – Prandium

16.15 – Participes sedem universitatis Europaeae Athenaei Reginae apostolorum dicati petent

IN SEDE UNIVERSITATIS EUROPAEAE ET ATHENAEI REGINAE APOSTOLORUM DICATI

Orationes aditiales et seminaria: **NULLIUS IURARE IN VERBA MAGISTRI**: “*Non norma, sed germen*”: *omissa sterili ac pedisequa antiquorum imitatione, fecundam et vivam humanitatem colendam.*

Nulla disputationum argutia, nulla verborum lenitas, nulla nominum nos tangat auctoritas: homines fuerunt, quantum humana inquisitione fieri potuit et notitia rerum docti et eloquio clari et naturali ingenio felices, sed caecorum in morem sepe lapsi, sepe ad lapidem offendentes. (Petrarca, *Ep. Fam.*, 1, 4)

17.00-19.00 – **Orationes aditiales**

19.00-19.30 – Pausa

19.30-20.30 – **Seminaria**

Sessio I – **Andreas Fritsch** (Liberae studiorum universitatis Berolinensis): *Vivere tota vita discendum est*

Quid Solo, Cicero, Seneca, Comenius hominesque nostrae aetatis de eo praecepto sentiant, quod linguis hodiernis *lifelong learning* sive *lebenslanges Lernen* sive *apprendimento permanente* dicitur.

Sessio II – **Michael von Albrecht** (Studiorum universitatis Heidelbergensis): *De Catullo poesis morumque novatore*

Quaerendum erit primum, quomodo Catullus antiquas Romanorum virtutes (pietatem, fidem) ad vitam suam rettulerit mutaveritque. Deinde, adiuverintne illum in amore solacia philosophiae religionisque. Tum, sitne amor morbus animi an res divina. Denique quas formas monologi et dialogi (v. g. precationem) et quas generis elegiaci leges Catullus in hac elegia componenda secutus sit vel quibus in rebus rerum novator exstiterit.

Sessio III – **Dominicus Viain** (Studiorum universitatis a *S. Pio X* nuncupatae – Lutetiae Parisiorum): *Giraldi Cambrensis Gemma ecclesiastica*

Nullius iurare in verba magistri... praecipue si verba ipsius magistri neque Latine neque humane sonant et risum movent! Qui gregem Domini praeclara auctoritate pascere debeant, presbyteri, episcopi, archiepiscopi etiam, tam ignari interdum atque rustici visi sunt ut vix credas illos sermoni Latino aut Sacrae Scripturae studuisse. Quae Giraldus Cambrensis, vir humanissimus, saeculo XIII ineunte auribus suis audivit, ea salsissime nobis ipse narrat.

20.30 – Participes in Academiam *Vivarii novi* redibunt

21.00 – Cena

22.00 – Conventus Horatianus et Catullianus edetur

Saturni die x m. Iulii

IN SEDE ACADEMIAE VIVARII NOVI

8.00-8.45 – Ientaculum

9.00-10.00 – **Seminaria de viis rationibusque docendi**

Sessio I – **Iohannes Odstrčilík** (Carolinae studiorum universitatis Pragensis): *Ludo, ludis, ludimus sive de parvulis docendis*

Contigit mihi, ut duo pueruli docendi hoc anno mihi traderentur, quod, etsi admodum iucundum, tamen haud facile fuit, cum mihi rei imperito et usus et libri apti et bonae docendi rationes deessent. Qua re inductus coactusque sum, ut haec omnia pro virili parte investigare, textus dulciores invenire, ludosque pueris gratiores excogitare conarer, quorum utiliora adhibenda necnon alia usu reprobanda vobiscum communicare cupio. Perspiciemus igitur aliquot libros scholasticos, eorum rationes, pericula fructusque, et nos omnes tesseriis variis, chartulis aliisque instrumentis ludemus.

Sessio II – **Patricius Owens** (Catholicae studiorum universitatis Viomingensis): *Ut colloquantur cum verborum textu*

Discipulos ad Latine loquendum hortamur quo profundius sermonem Romanum suum faciant. Hac sessione rationem praebebo qua praeceptores possint libellos, quibus scriptorum opera contineantur modo Ørbergiano instructa, coniungere cum dialogis scholasticis; quo pacto multo plura discantur verba longeque iucundiores scholae habeantur. Locum ex libello c. t. *Epitome Historiae Sacrae* una legemus, cui postea colloquium scholasticum Sebastiani Castalionis (1515-1563) quo de eadem scaena agitur, addemus.

Sessio III – **Iosephus Marcellino** (Normalis scholae Pisanae): *Poggiius Bracciolini balneis delectatur*

Poggiius Bracciolini praeclarus humanista, qui perquirendorum codicum causa fere totam Europam peragravit ut ab oblivione optimos quosque auctores vindicaret, anno MCDXVI in oppido Baden versabatur, quo nonnulli homines se conferebant ut in balneis diem consumerent. Aquarum autem virtus admirabilis et paene divina erat, non solum quoniam illa balnea ad

mulierum fecunditatem esse accomodata videbantur sed etiam quod “in tanta multitudine et in tam variis moribus nulla discordia oriebatur, nulla seditio, nullum dissidium, nullum murmur, nullum maledictum”; Poggius enim invidabat quieti illorum hominum, qui in “diem vivebant et quoslibet dies festos agebant”. Illi qui intererunt huic seminario non solum plura discent de illarum aquarum vi, sed etiam me moderante integram epistolam a Poggio conscriptam legent.

10.10-11.10 – **Seminaria de viis rationibusque docendi**

Sessio plenaria: **Annula Llewellyn** (Catholicae studiorum universitatis Viomingensis): *De recenti linguae docendi methodo quam Iacobus Asher psychologus proposuit, quomodo ad linguam Latinam aptari possit*

Annula Llewellyn, quae litteras Latinas in Catholica studiorum universitate Viomingensi profitetur, hoc seminario monstrabit usum cuiusdam methodi quaerentissimis decenniis in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis inventa est et inde latius divulgata. Quae docendi via, compendiaris litteris vulgo TPR (*Total Physical Response*) nuncupata a Iacobo Asher psychologo est excogitata, efficacissime magistros linguae tradere posse asseverante motibus corporis adhibitis et usu modi imperativi.

11.10-11.40 – Pausa

11.40-12.40 – **Seminaria de viis rationibusque docendi**

Sessio I: **Petrus Rivera** (Academiae Vivarii novi): *Linguae Itinera Tortuosa Tetricaque Exercitamentis Rectis Amoeniora Efficiuntur*

Hoc seminario conabor explanare quo modo fieri possit ut exercitia ludique, qui plerumque in discendis linguis quae nunc sunt adhibentur, nonnullis rebus mutatis aptatisque ad librum qui inscribitur Familia Romana usurpentur, ita ut huius generis exercitamenta non solum ad morphologiam, grammaticam, verba denique ediscenda, sed etiam ad discipulos alliciendos sint utilia, quo diutius in scholis animum attendant eisque cordi potius quam odio linguae Latinae studium sit.

Sessio II – **Omar López** (Academiae Vivarii novi): *Signo dato... rapiamus linguam Latinam*

Nos non ad Sabinas sed ad linguam Latinam rapiendam discurremus. Perlecto capitulo discipulis nostris proponi possunt varia exercitia quibus rapere verba nova, sive disiuncta sive locutionibus coniuncta possint; hisce adhibitis imaginem quandam qua Sabinarum raptus effectus sit describere valebunt.

Sessio III – **Paulus Villaoslada** (ALCE - Manhemii): *Per aures ad astra*

Hac in schola primum linguarum quae nunc sunt docendarum rationes breviter perstringemus, deinde exercitium de textibus audiendo intellegendis proponetur. Praesentibus pagina tribuetur cum quaestionibus qua praemoneantur quo animus sit intendendus ad sermonem magistri ita ut excipientes ex eius verbis respondeant. Talia exercitia usitatissima ad linguas recentiores discendas, admodum autem inusitata sunt in Latina lingua discenda. Praeterea etiam nova exercitia de dativo possessivo, de collationibus sive comparationibus, de superlativo, de orationibus modo patiendi prolatis proponentur. Sunt quidem exercitia quibus discipuli transferunt alteram formam grammaticam in alteram. Sic discipuli sese exercent in verbis flectendis, ubi tantum una pars deest quae compleri debeat.

13.00 – Prandium

14.30 – Participes villam a Lante nuncupatam petent

Seminaria: **PRAESIDIUM ARCIS**: *Quomodo quantumque disciplinae liberales et honesta studia iuvenum animos custodiant.*

Cupiditatum aliae, subnascentes propter inscitiam educationis multae validaeque fiunt; denique occupant iuvenilis animi arcem, vacuam esse animadvertentes disciplinis et studiis honestis et sententiis veris, quae optimae praesides custodesque sunt in hominum piorum mentibus. (Plat. Resp. 560b)

16.00-16.30 Villa Lante lustrabitur

16.30-17.30 – Seminaria

Sessio I – **Paula Marongiu** (Lycei a *Dante Alighieri* nuncupati – Florentiae): *Quid Cassandra Fidelis de studiis humanitatis senserit*

Cassandra Fidelis Veneta (1465-1558), disciplinis secundum rationem studiorum humanistarum, in primis Latina et Graeca lingua optime instituta, doctrina sua in summam gloriam venit, epistularum commercia cum clarissimis viris doctis, cum regibus et principibus habuit, neque tamen valuit proprie vereque humanistria evadere, id est docere et munere suo se sustentare. Eius manent CXXIII epistulae (nonnullae aliorum) et III orationes quae editione saeculi XVII servantur. Ex hoc opere trahentur loci legendi et explicandi in seminario, quod quidem hoc modo dividetur; a) Pauca verba de feminis quae humanas litteras aetate renascentium artium coluerunt; b) Summarium vitae Cassandrae; c) Studia humanitatis bonis corporis anteponenda sunt quod tantum illa sunt mansura atque homines populosque educant (*Oratio pro Bertucio Lamberto* et *Oratio de laudibus litterarum*); d) Quae sit feminae doctae condicio aetate qua litterae renatae sunt (*Epistula CXI Cassandra Fidelis Alexandrae Scalae, Coniugiumne a femina erudita studiis praefendum*); e) Quo modo viri docti feminas doctas iudicent (*Epistulae CI et CIV Angelus Politianus Cassandrae Fidelis*). Ex his paginis exstat illa aetate nonnullas feminas fuisse quae penitus in studia incumberent et propterea magni aestimarentur multumque laudarentur, attamen quasi monstra haberentur.

Sessio II – **Matthaeus McGowan** (Studiorum universitatis Neoeboracensis a *Fordham* nuncupatae): *Mente deos adiit: de Pythagora post Ovidium*

Tractabuntur apud Ausonium et Martianum Capellam loci, in quibus Pythagoras apparet. Quaerendum est nobis utrum ibi Ovidio monente philosophus Samius praecepta mathematica potius exprimat an moralia.

Sessio III – **Dominicus Viain** (Studiorum universitatis a *S. Pio X* nuncupatae – Lutetiae Parisiorum): Gilbertus Novingentensis: *Monodiae sive de vita sua*

Quomodo puerulus, “traditus litteris”, ut ipse ait, humanitate, saeculo XII ineunte, imbutus sit. Cuius testimonium tantum a moribus nostris discrepat ut vix credi possit quonam pacto et severitatem maximam praeceptoris et

diligentiam simul expertus sit! Utrum facti sint miselli isti discipuli “honesti atque pii” propter an contra rationes istas docendi: hoc nobis disputandum erit.

17.40-18.40 – Seminaria

Sessio I – **Michael von Albrecht** (Studiorum universitatis Heidelbergensis): *Quomodo Horatius honesta studia ad Albi tristitiam animi sanandam adhibeat*

Quaerendum erit primum, sitne epistula “dialogus dimidiatus” an altera pars colloquii. Deinde, quomodo Horatius hac forma utatur et quid intersit inter formam epistularum antiquam recentioremq. Tum, quibus rebus Horatius ad recentiore genus epistularum accedat. Denique de Horati humanitate, qua Albi summa tristitia affectum ad omnia ea recordanda excitet, quae illi a deo data sint, sed etiam ad philosophiae studia capessenda! Postremo de urbanitate atque ironia poetae, qua se ipse irrideat, ut Albi a maestitia ad veram serenitatem animi revocet.

Sessio II – **Andreas Fritsch** (Liberae studiorum universitatis Berolinensis): *Apophthegmata Diogenis Cynici (et aliorum hominum) selecta*

Quantum “apophthegmata”, quae dicuntur, usui esse possint ut animi ad virtutes humanitatemque informetur, excussis nonnullis Diogenis Cynici, Plutarchi, Erasmi, Iohannisque Posselii dictis considerare conabimur.

18.40-19.00 – Pausa

19.00-20.00 – Seminaria

Sessio I – **Bernardus Teuber** (Studiorum universitatis Monacensis): *Senecae philosophi carmen e Thyeste sumptum: Quis vere sit sui potens*

In tribus scholis, quas auditoribus proposituri sumus, trium philosophorum carmina enarrabimus. Haud paucos enim antiquitatis recentiorisque aetatis philosophos non tantummodo operibus prorsa oratione conscriptis, sed poetarum quoque artificiis rationem recte vivendi recteque amandi disciplinam tradidisse constat. Illi imprimis sapientes, qui homines ut curam sui ipsius gererent atque sese sibi fortiter vindicarent monebant, saepe carminibus nixi suam doctrinam aliis publicarent. Prima igitur schola

Senecae philosophi carmen e Thyeste sumptum diligentius inspiciemus quo melius discamus quis vere sit sui potens.

Sessio II – **Claudius Piga** (Academiae Vivarii novi): *De argumentando per absurdum apud Lucretium*

Imaginem mundi, quam sibi proposuerat Lucretius, experimentis e. g. Galilaeianis probare non potest, saepius igitur opinionem contrariam sumit, tamquam veram. Unde aliquid absurdum necesse est sequatur, repugnans contra veritatem et communem hominum opinionem. Idest illa sententia pro tempore ficta ab ipso Lucretio ad absurdum reducitur, unde fit ut vera sit opinio contraria, quae inde ab initio erat demonstranda. Loci ex Lucretii *Rerum natura* praelegentur.

Sessio III – **Iohannes Carolus Rossi** (Operis fundati c. n. *Latinitas*): *De Mediolanensi Lazareti descriptione apud Iosephum Ripamonti*

Adhibitis Iosephi Ripamontii de peste quae fuit anno MDCXXX libris, praelegentur loci e libro primo decerpti de Lazareto et de furore plebis circa pestilentiae fidem, atque cum Alexandri Manzoni Sponsis et peste Lucretii conferentur. Ex iis cognoscetur quot quaeve mala exoriantur ex inscitia, quae vero bona e bene instructa civitate derivari possint.

20.10-21.10 – **Seminaria**

Sessio I – **Ladislaus Dolidon** (Accademiae Vivarii novi): *Seneca, Horatius, Petrus Rabhi* – “*Cur apud te vinum aetate tua vetustius bibitur?*”

Philosophus et poeta et agricola, etsi varia sentientes et vitas agentes diversas, hoc saltem conveniunt, victu parciore vel divitiis aliquatenus aspernendis – sed animo erecto et ad maiora aspirante – ad beatiorum accedere vitam. Num tam diligenter curandum ut fortunae privatae publicaeque perpetuo crescant? Hoc eorum plerique qui a rebus oeconomicis sunt legem pernecessariam censent. Satne certis et pensitatis consiliis singuli decrevimus quid in cultu nostro humanitati faveret, quid vero ex aliorum consuetudinibus moribusque fortasse imprudentes et consulto acquiverimus, vel vitarum nostrarum habentis circulatoribus quibusdam relictis? “Nihil ergo magis praestandum est quam ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes non quo eundem est sed quo itur”. (Sen. *De vita beata*, I, 3)

Sessio II – **Cletus Pavanetto** (Pontificiae studiorum universitatis Salesianae): *De Seneca*

Ex Annaei Senecae operibus seligere placuit opusculum cui titulus *De brevitae vitae*. In eo quidem edacis temporis ineluctabilis fuga rerumque omnium inanitas cruda veritate pertractantur. Sub earum specie latet contumax imperatoria potestas incumbens in Romanorum senatorum miseram consortionem. Cui fastidiosae conditioni opponere vult comprobata sapientiam quae nos inducat ad excutiendum gravamen vacuitatis terrestris ut praeter terrestres angores et curas adipisci possimus integram libertatem.

Sessio III – **Iacobus a Pietate** (Academiae Venetae): *Christus apud Seras*

Pauca narrabuntur de Christiana religione ad Seras saeculis XVII-XVIII allata, Latinis quoque scriptis de hac re inspectis quae perspicuitate elegantiaque pollent.

21.15 – Cena

Dominico die xi m. Iulii

IN SEDE ACADEMIAE VIVARII NOVI

7.30-8.30 – Missa sacra celebrabitur

8.30-9.00 – Ientaculum

9.10-10.10 – **Seminaria de viis rationibusque docendi**

Sessio I – **Paulus Villaoslada** (ALCE - Manhemii): *Disputationes*

Hoc in seminario participes in greges dividuntur quibus argumenta sive controversiae variae proponuntur ut una de iis disputent disceptentque et sententiam suam proferant. Quod pertinet ad argumenta prudenter ea deligam, ne lites verae exoriantur. Hoc enim exercitiorum genus facultatem non modo Latine loquendi atque intellegendi multo firmiorem reddit, sed etiam ipsos discipulos in cogitando atque in sensibus animi exprimendis multum adiuvat.

Sessio II – **Georgius Čepelák** (Academiae Vivarii novi): *O fortunati quorum iam moenia surgunt*

Brevis est vita hominis, ars longa. Quemcumque haec verba sensum habuerunt, variae sunt rationes quibus ea, quae in vita nostra, quae brevis est, sumus experti, ex oblivione vindicemus. Quod fieri possit uberrime narrando, imagines iam dudum peractas in memoriam revocando vel etiam ea quae nobis de praeteritis rebus testimonium afferunt contemplando. Videamus igitur quanti momenti sit ad scholam meliorem reddendam praeterita in mentem vivide revocare, eorundemque testimonia una tractanda atque ad vitam adducenda coram exhibere. Ceterum quid si Dido Aeneam eiusque socios hospitio recipere abnuisset...

Sessio III – **Alexander Winkler** (Studiorum universitatis Monacensis): *De Annae Mariae a Schurman vita atque operibus*

Mulieribus omnibus saeculis a viris Apostoloque (in prima ad Corinthos epistola) tacere iussis, quid mirum est tam pauca exstare feminarum doctrinae monumenta? Qui autem fit, ut ea, quae exstant, diutius patiamur

oblivione obruta iacere, squalere, rodi? Nonne verendum est, ne –dimidia humani generis parte in occulto latente atque tacente– dimidiatam quandam mancamque humanitatem colamus? Exaudiamus igitur strenueque investigemus ea quibus mulierum doctrina cum rem publicam litterarum tum totum genus humanum donaverit. Hac in schola Annae Mariae a Schurman, mulier doctrina elegantiaque cum primis ornata, scripta aliquot legemus. Quibus perlectis et de rebus et de verbis agemus. Praeterea varia proponuntur exercitia, adminicula, methodi, quae utiles iis, qui litteras Latinas Latine docent, esse videntur.

10.20-11.20 – **Seminaria de viis rationibusque docendi**

Sessio plenaria – **Annula Llewellyn** (Catholicae studiorum universitatis Viomingensis): *De fabellis ad linguam docendam narrandis utilissimis*

Hoc seminario demonstrare conabor illius methodi usum quam Blaine Ray grammaticus excogitavit, qua lingua fabellis sponte fictis vivide et efficacissime tradi potest: nam discipuli vel admodum sermonis rudes hisce fabulis excogitandis, contexendis atque narrandis animo haud parum excitari solent.

11.20-11.50 – Pausa

11.50-12.50 – **Seminaria de viis rationibusque docendi**

Sessio I – **Eduardus Flores** (Academiae Vivarii novi): *Consulto involvit veritatem antiquitas, ut sapiens intellegeret, erraret rudis*

Fabulae –sive apologi– ab antiquis compositae sunt bifrontis linguae naturae eximium exemplum; nam sub persona animalium aliquis, ut inter omnes constat, sensus latet, qui tamen cum et flosculis et figuris rhetoricis et verborum artificiis celetur, haud semper facile detegi potest. Legentur loci excerpti ex Phaetro et ex Baldone, eo pacto ut tenore narrationis animi excitentur, simulque possint in animis insidere utiles iuncturae verborum quibus aliam fabulam, ex illo *Directorio humanae vitae* a Iohanne de Capua congesto depromptam, facile legi et intellegi possit. Hisce fabulis consilii plenius perlectis, demonstrabimus hominum et in primis discipulorum animos non modo cupidine suae augendae doctrinae, verum etiam spe allici posse cuiusdam sapientiae luminis attingendi.

Sessio II – Iosephus Rojas: *De itinere litterario chrononavi conscensa*

Ut discipuli certe persuasum sibi habeant linguam Latinam eiusque litteras non esse rem antiquam tantum, sed radices agere usque etiam ad recentissima tempora, opportunum duxi mirabile quoddam iter portentoso vehiculo, quod temporis repagula superare valeat, suscipiendum discipulis proponere. Quod quidem iter faciendo, hominibus occurremus, qui sermone Latino usi sunt aliquando ad sensa aperienda atque communicanda cum aliis hominibus. Qui praeterea homines temporis intervallis atque natione inter se mirum quantum diversi sint, quod singularem linguae Latinae perennitatem atque vitam demonstrat. Quod ad opusculi formam attinet, curavi certe Latine tantum vocabula atque locutiones explanare, aliis verbis quae quidem forte noverint lectores. Quod tamen opusculum nondum est ad unguem accommodatum iis capitulis libri cui index *Familia Romana*, quia hucusque haud comperi an vocabula quae in unoquoque itinere proponuntur omnia in eo libro institutorio exhibita atque proposita sint.

Sessio III – Iohannes Morávek (Carolinae studiorum universitatis Pragensis): *Dialogus Ciceronianus sive De optimo genere dicendi*

Erasmus Desiderius Roterodamus, humanistarum princeps merito a multis appellatus, qui non solum calamo legendi digno ornatoque delectare, verum etiam ipso argumento rationeque docere et hominem eruditum reddere semper voluit, opus c. t. *Dialogus Ciceronianus* composuit, in quo eos salse deridet, qui nimio studio Ciceroniano flagrant atque ceteros quamvis doctos, qui ab his dissidebant, contemnunt. Legemus partes ex opere supra dicto ita depromptas, ut argumenta et rationem ipsam Erasmanam intellegamus et controversiam de optimo genere dicendi tunc inter humanistas exortam cognoscamus atque ipsi inter nos excitemus.

13.00 – Prandium**14.30-15.30 – Seminaria****Sessio I – Bernardus Teuber (Studiorum universitatis Monacensis): *Boethii perpauca carmina e Consolatione philosophiae sumpta***

Boethii perpauca carmina e consolatione Philosophiae sumpta adibimus; quibus carminibus Boethius docet quomodo et divinum numen et ipsa natura mentem regant humanam.

Sessio II – **Eusebius Tóth** (Academiae Vivarii novi): *Quomodo carmina Latina recitanda sint; cantus in scholis; versus hendecasyllabi*

Tractabitur primum ac summatim perspicietur longa illa disputatio de recta et maxime verisimili ratione, qua poemata Latina pronuntianda sint. Dehinc postea considerabitur, quo emolumento modi musici induci possint in poesim artemque metricam docendam. Quod denique et usu demonstrabitur per duo carmina Catulliana, versibus hendecasyllabis exarata (*Carm.* III; V).

15.45 – Participes Ostiam petent

OSTIAE

16.45-19.30 – Lustrabuntur Ostiae parietinae

20.00 – Pausa

20.30 – Plauti *AMPHITRYO* (quam comoediam histriones gregis, c. n. “Te.C.T.A. Clan H” moderante Lucio Mazza, in theatro Ostiensi edent)

21.45 – Cena

23.00 – Participes in Academiam *Vivarii novi* redibunt

Lunae die XII m. Iulii

IN SEDE ACADEMIAE VIVARII NOVI

8.00-8.45 – Ientaculum

9.00-10.00 – **Seminaria de viis rationibusque docendi**

Sessio I – **Alexis Hellmer** (Academiae Vivarii novi): *Caelum ipsum petimus stultitia*

In hoc seminario, unius horae spatio, quam maxime varia et iucundissima progymnasmata proponere conabimur eaque apta ad caput XXVI libri de *Familia Romana*. Lectis enim fragmentis quibusdam ex fabula de Daedalo et Icaro, nonnulla per *paraphrasin* explicabimus, aliquot imaginibus usi quas *describere* oportebit, postea vero *epitomen* totius narrationis conficiemus, in qua *copiam* verborum et locutionum quam locupletissimam adhibebimus. Denique *lusus scaenicus* agetur ita ut cum loquendi facultatem tum partes aliquot syntaxeos exerceamus.

Sessio II – **Petrus Rivera** (Academiae Vivarii novi): *Lupa (Capitolina) in fabula*

Fabulae pueriles quibus iam a primis annis delectamur, maximo sunt usui ad discendas linguas, nam hoc modo legere et verba et multa alia discimus. Usi libro qui *Roma Aeterna* inscribitur, nisi omnia, saltem multa capita modo fabularum tractare possumus. Quod, si bene factum fuerit, utilissimum instrumentum erit ad docendos iuvenes. Ut haec demonstrem caput XLIII libri qui *Roma Aeterna* inscribitur elegi.

Sessio III – **Omar López** (Academiae Vivarii novi): *Loqui cum scriptoribus Latinis*

Senecae philosophi epistolam V ad Lucilium legemus, ut in sermone Latino nos exerceamus et rectius auctores intellegamus, et inde considerabimus quomodo discipuli interrogandi et hortandi sint ut Latine respondeant. Etiam imitationis exercitium proponemus.

10.10-11.10 – **Seminaria de viis rationibusque docendi**

Sessio I – **Iosephus Marcellino** (Normalis scholae Pisanae): *Inter ioca arrientium et laetitias alludentium multo facilius omnia disci*

Quot difficultates oboriantur discipulis structuram verborum quam *accusativum cum infinitivo* vocant ediscere conantibus, nemo est qui nesciat. Quamquam omnes compertum habemus quotiens in scriptorum Latinorum operibus haec structura, qua nihil fortasse crebrius usurpatur, inveniri possit; quapropter operam enixe demus oportet ut grammaticorum praecepta non solum discipulorum memoriae tradantur atque inculcentur sed etiam inter ioca et oblectamenta sensim sine sensu percipiantur. Equidem mei seminarii participibus pro virium captu ostendere conabor quomodo ioca atque seria simul agere possimus ut cibus, suapte natura taeter, melle oblitus non solum nostros discipulos alliciat sed etiam eorum studium atque amorem erga Latinitatem excitet.

Sessio II – **Ignatius Armella** (Academiae Vivarii novi): *Genus unde Latinum?*

Haud multa viatoribus tam proficiunt quam insistere vestigiis praecedentium, quibus eo magis fidendum est, quo fortiores ac prudentiores fuerunt. Itaque in hac schola dabitur occasio ut nostro Marte viam a patre Aenea patefactam emetiamur et ipsi. Per quam tamen non pedibus, sed solutae orationi accommodatam, ut in capitulo XXXVIII libri, c. t. *Roma Aeterna*, apparet, quicumque originem gentis Latinae eiusque linguam explorare cupit, his facile ambulare licebit, hinc verba variis progymnasmatibus exercendo, illinc genus dicendi ad fabulae exemplum perpoliando.

Sessio III – **Patricius Owens** (Catholicae studiorum universitatis Viomingensis): *Qui sititis ite ad fontem!*

Discrimen inter methodum docendi Ørbergianam, qua magister utitur libris ipsis iam annotatiunculis et imagunculis instructis et rationem docendi ipsa scriptorum opera ex libris qui careant talibus supplementis magnum videri potest. Hac sessione monstrare conabor quo modo schola bene progredi possit quae scaenam Terentianam tractet sine libris methodo Ørbergiana instructis. Praebere temptabo novas strophas quibus et textus discipulis explicari et praeceptor discipulos de textu interrogare possit.

11.10-11.40 – Pausa

11.40-12.40 – **Seminaria de viis rationibusque docendi**

Sessio I – **Eusebius Tóth** (Academiae Vivarii novi): *Stropha Sapphica, Strophae Asclepiadeae*

Usum methodumque musicam porro exhibere pergemus. Hac autem occasione primum stropha Sapphica proponetur: Horatii oda ad Fuscum (I, 22) atque LI Catulli carmen, quibus oppositis perspicere etiam licebit, quonam modo duo diversa genera, carmen scilicet philosophum atque cantilena amatoria ad eosdem numeros, diversis vero modulationibus cani possint. Tertium amoebaeum quoddam carmen Horatii tractabitur (III, 9), panctum stropha Asclepiadea huius nominis tertia, qui versus nimirum in scaenam quoque produci possint, quippe quibus duas inter personas effingatur disceptatio.

Sessio II – **Iohannes Morávek** (Carolinae studiorum universitatis Pragensis): *Nunc futura oriuntur*

Homines numquam hoc ipso puncto temporis vivunt, homines de rebus futuris cogitant ac loquuntur, consilia sua vel aliena in animo suo volvunt atque ceteris aperiunt, suspensi postera exspectant, futura scire semper cupiunt atque eventus rerum praedicant. Quae cum ita sint, necesse est discipulis in capitulo XX tempus futurum perdiscere, ut ipsi Latine in futurum prospicere et de futuris loqui possint. Quod quanto facilius narrando, loquendo, legendo in animos discipulorum penetret, in nostra sessiuncula methodis insolitis adhibitis monstrabitur.

Sessio III – **Borekius Marek** et **Petrus Honč** (Carolinae studiorum universitatis Pragensis): “*Matrona quaedam Ephesi...*” – *fabula notissima a Petronio Arbitro tractata*

Quoniam hominum animos variis fabulis fabellisque, incredilibus narratiunculis necnon apologis diversis naturaliter attrahi ac delectari iudicamus, et quia homines tales narrationes ut oblectamenta animi sive avidae legentes sive diligenter audientes non solum linguam, novas voces et schemata artis rhetoricae facilius discere videntur, sed etiam multa nova de historia rerum gestarum, de viris mulieribusque illustribus cum veris tum fictis percipere conantur – nempe excitantur eorundem actis gestisque et vitam heroum nonnumquam quasi ipsi vivunt exemplum plerumque eximium ante

oculos habentes, quo magis omnia fabularum propria lectoribus in memoriam fere inuruntur–, narrationem fama notissimam a Petronio affabre depictam censemus legendam qua mores “boni” matronae cuiusdam Ephesi degentis illustrentur. Hoc enim litterarum genus verisimillime iam inde a I saeculo a. Ch. n. colebatur quod nobis *Fabula Milesia* ab Aristide Milesio Graece conscripta Romamque a Cornelio Sisenna translata lucide monstrat. Petronius vero ex hoc fonte hauriens Eumolpum poetam de matrona Ephesia dicentem in *Satyricon* libros induxit. Nos autem Latinitatem elegantiae arbitri Neronis primoribus saltem labiis delibabimus et –si tempus suffecerit– personas distribuemus ac totam rem ope parata sententiisque auxiliaribus appositis breviter in scaenam transducemus. Nam qui semel personam alicuius operis egit, is in intimum opus penetravit. Videamus igitur quid Ephesi factum sit...

13.00 – Prandium

14.30 – Participes villam a Sciarra nuncupatam petent

IN VILLA A SCIARRA NVNCPATA

16.00 – Instituti Italici studiis Germanicis provehendis lustratio atque salutatio

Orationes aditiales:

Vincentius Cappelletti (praeses Instituti Italici studiis Germanicis provehendis)

Paulus Chiarini (rector Instituti Italici studiis Germanicis provehendis)

Seminaria: **GIGANTVM HVMERIS INSIDENTES: *Historia radix vitae.***

Dicebat Bernardus Carnotensis nos esse quasi nanos gigantum humeris insidentes, ut possimus plura eis et remotiora videre, non utique proprii visus acumine, aut eminentia corporis, sed quia in altum subvehimur et extollimur magnitudine gigantea. (Iohann. Sarisb. *Metal.* PL 199, 900c)

16.30-17.30 – Seminaria

Sessio I – **Bernardus Teuber** (Studiorum universitatis Monacensis): *Luisii Legionensis carmen de sacro amore*

Quoddam carmen Latine scriptum introducemus, quod Luisius Legionensis pepigit; Luisius Legionensis enim, qui vulgo *fray Luis de León* nuncupatur

et saeculo XVI in Hispania floruit, celeberrimus fuit theologiae magister et philologus et poeta; qui Luisius, postquam vinculis solutus e carcere evadere potuit, pulcherrimo carmine beatae Mariae virgini ex voto dato et Horatii *Carmen saeculare* et Salomonis *Canticum canticorum* imitatus est ut hominibus lineamenta sacri inculcaret amoris.

Sessio II – Stephanus Di Brazzano (Lycaei Tergestini a *Francisco Petrarca* nuncupati): *Venetis per illyricum Ierusalem usque. Loci selecti ex Rerum Venetarum decadibus Marci Antonii Sabellici*

Loci praestantiores praebebuntur, excutientur, illustrabuntur ex illo maximo opere quod Marcus Antonius Sabellicus (1436-1506) Veneto senatui anno MCDLXXXVII obtulit, totam urbis Venetiarum historiam a remotissimis originibus usque ad ipsius auctoris tempora XXXIII libris complectens. Primo tractabitur e libro II descriptio formae urbis antiquioris, deinde e libro IV legetur quo modo quibusque de causis factum sit, ut Veneta res publica Histriae Dalmatiaeque ora maritima potiretur et, percursa ex libris V et VI primae militum cruce signatorum ad loca sancta liberanda expeditionis, qua quidem copiae a Venetis missae nonnullius fuerunt momenti, narratione, postremo proponetur templi divi Marci Venetiis siti descriptio, qua liber VII explicit.

Sessio III – Curtius Smolak (Studiorum universitatis Vindobonensis): *Quae sit indoles Georgii Washingtonii vitae a Francisco Glass conscriptae aut quare Latine sit composita*

Franciscus Glass Ohioensis, cuius parentes ex Hibernia in Americam immigraverant, *vitam Georgii Washingtonii* stilo luculento et qui optimos rerum gestarum autores Romanos sapiat, maxime vero sermonem Caesaris et Livii, eo animo se Latine scripsisse ipse confitetur, ut gentibus Europaeis demonstraret Americanos quoque litteris ac humanitate iis non inferiores esse, quippe qui gesta clarorum virorum ea lingua celebrare posterisque tradere scirent, quae inter Academicos veteris, ut appellabatur, mundi tum plurimum valeret. Hoc ut assequeretur, non dubitat etiam licentia fingendi uti, poetarum videlicet morem imitatus.

17.30-18.00 – Pausa

18.00-19.00 – **Seminaria**

Sessio I: **Iula Wildberger** (Americanae studiorum universitatis Lutetiae sitae): *De initio libelli, quem Tacitus de Agricola scripsit*

“Virtutes isdem temporibus optime aestimantur, quibus facillime gignuntur” ait Tacitus (*Agr. I*), paucis verbis plurima significans. Illa quae sint et qua pertineant ad officium rerum scriptoris inter nos dispiciamus. Primum lectione diligenti praefationis has quaestiones tractabimus: quid sit ille libellus qui Agricola inscribitur, historiane, vita an quasi laudatio funebris? Quod fuerit propositum Taciti in opere de Agricola conscribendo? Quid laudabile, quid reprehendendum ei videatur in tempore antiquo, in suo tempore, in se ipso? Deinde locis selectis adhibitis disputabimus, num quae in reliquo opere leguntur cum his quae in initio invenimus congruant.

Sessio II – **Antonius Antonioni** (Academiae Vivarii novi): *De bello iusto et iniusto quid senserint Augustinus, Erasmus, Hugo Grotius*

Locos quosdam Sancti Augustini, quibus belli iustitia aut iniustitia obiter tangitur, primum cum aliis contulit et comparavit Gratianus in opere suo maximo de iure canonico; integrum vero et legitimum hac de re doctrinae corpus ante priores scholasticos (saeculo XIII) nequaquam constitutum est. Cui doctrinae quatenus Erasmus quidem repugnaverit, Grotius vero, prout retractata esset a recentioribus scholasticis, assensus sit, breviter ostendetur.

Sessio III – **Dominicus Viain** (Studiorum universitatis a *S. Pio X* nuncupatae – Lutetiae Parisiorum): *Ricardi Aungerville sive De Bury, Philobiblion*

Antequam “in humeris gigantum” insidant..., nani, –i. e. alumni vel discipuli vel quicumque sunt omnium aetatum lectores– libros ipsos quibus divulgatur ac docetur illorum auctorum doctrina, manibus suis sumunt nec raro... tanta reverentia tractant quanta doctrinam ipsam! Quod iam deplorat Ricardus ille de Bury, in suo *Philobiblion*, anno MCCCXLIV edito. Excerptum hoc, salsum ac facetum, peropportune “de debita honestate circa librorum custodiam adhibenda” nos monet; id monitum, nostra quidem sententia, semper viget atque valet!

19.10-20.10 – **Seminaria**

Sessio I – **Matthaeus McGowan** (Studiorum universitatis Neoeboracensis a *Fordham* nuncupatae): *Propter egestatem linguae et rerum novitatem (Lucr. I, 139): de arte lexicographica apud Lucretium*

Tractabuntur e Lucretii carmine *de rerum natura* loci sive singulae voces, quas lexicographi Latini clarissimi Verrius Flaccus, Sextus Pompeius Festus, Nonius Marcellus, Isidorus Hispalensis, Paulus Diaconus iam fusius tractaverunt. Seminarii propositum est per Lucretianam artem artem lexicographicam saeculi I ante Christum natum perstringere atque exponere.

Sessio II – **Accius Watanabe** (Studiorum universitatis Californianae a *Davis* nuncupatae): *Aurea lux veluti caecas fulgore tenebras pellit. Quomodo Iapones litteris Graecis et Latinis studuerint*

Inde a saeculo XVI nonnulli Iapones litteras Graecoromanas iuvantibus quibusdam advenis didicerunt et de eis cogitaverunt. Ergo scripta aliquot Latina Iaponum variarum aetatum participibus praebentur scrutanda, necnon fiet sermo de operibus quibusdam Iaponicis, quae tamen certis fundamentis Graecoromanis nituntur. Respondere quoque conabimur rogantibus quasnam virtutes e litteris et cultu civili antiquorum Iapones diversis temporibus viderint ac perceperint.

Sessio III – **Maurus Agosto** (Pontificiae studiorum universitatis Lateranensis): *Nihil est simul et inventum et perfectum: De antiquitatis studio et emulatione apud quosdam humanistas*

Quae de Bernardi sententia “esse nos nanos gigantum humeris insidentes” docentis tot post illum saeculorum spatio variaverint, ostendere conabor per paginas L. Vivis (*de causis corruptarum artium*, I), S. Puffendorffii (*de officiis hominis et civis*), H. Thompsonii (*Oratio* “An recentium ingenii vim insitam veterum poetarum exemplaria promovent?”, in *Classical Journal* 1825), A. Boeckhii (*Oratio de antiquitatis studio*).

20.20 – Participes in Academiam *Vivarii novi* redibunt

IN SEDE ACADEMIAE VIVARII NOVI

21.30 – Cena

Martis die XIII m. Iulii

IN SEDE ACADEMIAE VIVARII NOVI

7.45-8.30 – Ientaculum

8.30 – Participes Palatium Farnesium petent

10.00-11.00 – **Seminaria de viis rationibusque docendi**

Sessio I – **Georgius Čepelák** (Academiae Vivarii novi): *Narrare necesse est...*

Omnes homines summa ope niti decet ne vitam silentio transeant veluti pecora. Hanc Sallustii sententiam sequentes conscii simus quanti momenti sit hominibus narratio. Quis enim, cum puer esset, fabulas non audiebat? Quis enim ipse numquam narravit? Nemo. Quin igitur discipulos quoque de praeteritis Latine narrare atque interrogationes sive rectas sive obliquas proponere doceamus? Quomodo facilius, efficacius vividiusque hoc fieri possit ita ut legendo, loquendo, interrogando, componendo, agendo necnon secundum rationes recentiores exercendo, syntaxis ad hoc necessaria quasi in sucum et sanguinem transeat, vobis monstrare conabor.

Sessio II – **Eduardus Flores** (Academiae Vivarii novi): *Docere debitum est, delectare honorarium, permovere necessarium*

Haud procul abest orator, ille vir bonus, dicendi peritus, plurimarum rerum gnarus, a doctore, quippe qui ipse non solum debeat audientium animos in se convertere, sed etiam debeat quasi persuadere ut ea omnia quae tradit mentem pervadant et memoriae infigantur. Opus vero est aucupiis, technis, et quasi tendiculis quibus animi erudiantur simulque oblectentur, necnon moveantur. Itaque proponentur legendae fabulae ex *Epitome Historiae Sacrae* a Carolo Francisco Lhomond exaratae, ita ut tria perficiamus incepta: per fabulam doceamus verba ignota, constructiones et circuitus verborum, mulceamus animos, adhibitis imaginibus, sonis, gestibus et actione quo planius patefiat argumentum, denique ita permoveamus ut multa non aliena, non aversa aut remota a vita cotidiana, immo potius omni generi humano communia agnoscantur. Hoc enim modo discipuli, adhibitis verbis et sententiis explanatis, exercebunt praesentem sermonem, facultatem expedite loquendi et inde etiam aliquid aliud sibi comparabunt ad animum

docendum, perinde ac si doctrina et notitia ipsa rerum non propositum, sed fruges huius lectionis sint.

Sessio III – Iohannes Odstrčilík (Carolinae studiorum universitatis Pragensis): *De amicitia*

Nullus dubitat quin amicitia inter argumenta omnium temporum validissima numerari debeat, quae Platoni, Ciceroni, Senecae, multisque aliis optimis viris feminisque maximi momenti fuisse omnibus constat, quorum operum excerpta et nobis legenda, et praesertim deliberanda erunt. Nam difficile invenies quod magis, si adsit, ad vitam sinceram beatamque, si minus, ad animi desperationem rerumque mundi omnium contemptionem ducat, cum tamen in ea saepe erremus semperque eam recte et bene colere discamus. Quanti momenti amici nobis sint, pulchre Senecae verba explanant: “Ut habeam” inquit “pro quo mori possim, ut habeam quem in exsilium sequar, cuius me morti et opponam et impendam.”

11.00-11.30 – Pausa

11.30-12.30 – Seminaria de viis rationibusque docendi

Sessio plenaria – **Annula Llewellyn** (Catholicae studiorum universitatis Viomingensis): *De methodo a Iohanne Rassias inventa*

Hoc seminario tractabitur de docendi ratione quam Iohannes Rassias linguarum professor fama notissimus, qui in collegio academico nomine Dartmouth docet, invenit atque elaboravit; qua methodo, crebris exercitiis viva voce agitandis, discipuli et loqui et legere sine molestia ediscant.

12.40-13.40 – Seminaria de viis rationibusque docendi

Sessio I – **Iosephus Rojas**: *Imaginibus Latina collustrantes doceamus efficaciter*

Primum vocabula Latine tantum atque imaginibus illustraturus sum, quo discipuli certiores fiant de eorum sensu. Propositum enim est ut, sicut auctor nobis est Comenius, ope imaginum satis perspicuarum lepidarumque, discipuli complurium verborum sensum iam inde ab initio statim intellegant. Quo praeterea vocabulorum locutionumque sensum dilucidius etiam percipiant alumni, haud abs re erit, ut nos monuit professor ille Ørberg, vocabula per ipsam linguam Latinam explanare, aliis verbis propositis quae ipsi

discipuli superioribus capitulis cognoverint. Ceterum participium, per ipsam linguam Latinam atque imaginibus, quoad eius fieri potuerit, opitulantis, explanabitur deque eo exercitamenta sive progymnasmata conficienda pensave absolvenda erunt nonnulla, quo discipuli melius participii formam atque usum discant.

Sessio II – Borekius Marek (Carolinae studiorum universitatis Pragensis): *Parva Cuculla Rubra, Rosaciola, ceteri – quomodo ope apologorum lingua Latina disci possit*

Quantam vim ad sermonem Latinum (et fortasse etiam Graecum) melius discendum necnon ad historiam rerum gestarum et litteras antiquas alio modo adeundas fabulae scaenicae simplices habeant ostendere cupimus. Ipsi enim iam aliquot annos apologos varios Latine Graeceque reddere et coram discipulis in scaena agere solemus eo consilio, ut iis modo quodam vivido mundum, ut ita dicam, antiquum monstremus. Nullo prorsus modo primi sumus qui hanc viam ingressi sunt. Nam cum apologorum libri multi exstant (e. g. *Fabulae Divales* Heriberti Strang quas Latine interpretatus est Arcadius Avellanus), tum fabulae scaenicae plurimae scriptae sunt (e. g. in libro c. t. *Vesuvius and other plays* quem confecit Dick Burnell qui quoque *Paenulam Rubram* tractat sicut A. G. Amador qui eandem fabellam methodo docendi Ørbergianae aptavit). Loquamur igitur de his omnibus simul ac de aliis atque videamus quid boni discipulis apportare possint.

Sessio III – Alexius Belikov (Publicae Academiae Russicae humanitatis studiis colendis): *Vergilius cecinit, cecinerunt pascua multi:*

Iuvat aliquando poetas Latinos recentiores inspicere et cum eorum exemplis antiqua conferre. Nempe hoc modo discipulorum ingenia ad investigationem perscrutationemque incitentur. Nostra igitur in schola idyllion Rutheni poetae Neolatini cui nomen Michael Humileusky tractabimus, quod cum Bucolicis Vergilii eo consilio conferemus ut utriusque aetatis propria bene cernantur necnon quid talis comparatio ad discipulos docendos emolumenti afferre possit experiamur.

13.40-14.10 – Lustratio aedium

14.20-16.00 – Prandium

Seminaria – **FATA VOCANT:** *Civile vitae nostrae officium.*

Nec enim is solus rei publicae prodest, qui candidatos extrahit et tuetur reos et de pace belloque censet; sed qui iuventutem exhortatur, qui in tanta bonorum praeceptorum inopia virtutem insinuat animis, qui ad pecuniam luxuriamque cursu ruentes prensat ac retrahit et, si nihil aliud, certe moratur, in privato publicum negotium agit. (Sen. *Tranq. anim.* 3, 3)

16.00-17.00 – **Seminaria**

Sessio I – **Accius Watanabe** (Studiorum universitatis Californianae a *Davis* nuncupatae): *Alter ego – De amicitia qualis sit in fabulis Graecanicis*

Quinque restant fabulae sive mythistoriae Graecanicae tempore imperii Romani scriptae, Charitonis, Xenophontis Ephesii, Achillis Tatii, Longi, Heliodori, in quibus plerumque amores iuvenum narrantur. Sed et insunt fabellae amicitiarum quas colunt quarumque vinculis coniunguntur viri ingenui. Ex his fabellis discemus quales fuerint virtutes moresve in pretio apud cives Graecoromanos eius temporis.

Sessio II – **Iohannes Carolus Rossi** (Operis fundati c. n. *Latinitas*): *“Vivere secundum naturam” – De villis diaetisque apud Vitruvium et Leonem Baptistam Alberti*

Allatis Vitruvii Pollionis (VI, 4-5) et Leonis Baptistae Alberti (*Aed.* V, 18) locis de villis, quatenus architectura ad cultum civilem constabiliendum atque ad mitigandos hominum mores conferat disputabitur. Accedent indices verborum, huiusce artis propriorum, quibus ostendetur vel recentissima quaeque inventa Latinis verbis exprimi apte posse. Proponitur in exemplum vocabularium architecturae aedificatoriae a Carolo de Aquino S. I. saec. XVIII conscriptum.

Sessio III – **Curtius Smolak** (Studiorum universitatis Vindobonensis): *Quid Prudentius poeta Christianus summum civium Romanorum officium esse censuerit*

Quod civis vere Romani praestantissimum esset officium rei publicae praestandum Prudentius poeta Christianus aetatis Theodosii maioris Augusti enuntiaverit, demonstrabitur, videlicet eum contendisse Romanum non esse,

nisi qui fidem catholicam confiteretur, quippe cum finem atque scopum victoriarum imperii Romani de barbaris reportatarum eum esse, ut Christus terris concordibus influeret, ut verba poetae ipsius afferam. Eo enim modo secundum illum adventum Domini optime praeparari, quo futurum esset, ut, bonis a peccatoribus iudicio generali separatis, historia vicibus temporum subiecta sive in pacem sive in poenam aeternam traduceretur.

17.10-18.10 – **Seminaria**

Sessio I – **Iula Wildberger** (Americanae studiorum universitatis Lutetiae sitae): *De Q. Mucio Scaevola apud Livium et apud alios Latinos scriptores*

Quis non novit magnum audaxque facinus Scaevolae, qui manum suam igni imponendo Porsennam, eius temporis regem potentissimum, in fugam compulsi servavitque patriam suam unus? Videbimus quomodo Livius hoc exemplo virtutis Romanae in contextu operis sui usus sit, quomodo postea Valerius Maximus et alii. Apparebit tot Scaevolas esse quot auctores et exempla in variis generibus forma officioque differre.

Sessio II – **Francisca Deraedt** et **Gaius Licoppe** (Operis fundati Bruxellensis c. n. *Melissa*): *Iacobus Elisa Ioannes Capitein (1717-1747), De servitute libertati Christianae non contraria*

Iacobus Capitein, Afer in regione hodie Gana vocata natus, puer ut servus venditus est cuidam navarcho, postea in Bataviam transvectus, ubi optima educatione fructus, Latine, Graece et Hebraice edoctus, Lugduni Batavorum theologiae studia conclusit dissertatione cui titulus fuit *De servitute libertati Christianae non contraria*, in qua de servitute nequaquam recusat.

Sessio III – **David Money** (Studiorum universitatis Cantabrigiensis): *Ioannes Barclaius atque Latinitatis copia*

Barclaius (Ioannes Barclay: 1582-1621) gente Scota oriundus vitam apud Gallos degit; “Gente Caledonius, Gallus natalibus, hic est Romam Romano qui docet ore loqui”, ut Hugo Grotius in disticho suo olim scripsit. Fabulam prosa oratione (non sine versibus interspersis) fictam ad Europam totam delectandam conscripsit, cui titulus est *Argenis*: vix ullum huius aetatis opus olim maiorem nominis famam adeptum est, quamquam nunc vix quisquam est qui opus longissimum perlegere audeat. Non perlegere – nolite timere – in

seminario hoc proponam, sed pauca tantum exempla ad modum narrandi et de rebus politicis disserendi illustrandum.

18.10-18.40 – Pausa

18.40-19.30 – **Spectaculum de renascentium artium temporibus a grege c. n. “Tres lusores” praebebitur**

19.30 – Participes in Academiam *Vivarii novi* redibunt

IN SEDE ACADEMIAE VIVARII NOVI

20.30 – Cena

Mercurii die XIV m. Iulii

IN SEDE ACADEMIAE VIVARII NOVI

8.00-8.45 – Ientaculum

Seminaria – NUSQUAMIA: Ὁ τῆς οὐτοπίας τόπος in animis nostris constituendus

[Glaucō]... ea in civitate dicis, quam nunc condidimus, quae nunc in verbis est sita, in terris vero nusquam, ut arbitrōr. [Socrates] At, inquam, fortassis in caelo exstat exemplar illi, qui intueri velit intuitusque semet ipsum condere. Nihil autem refert, sitne alicubi aut futura sit: huius enim solius res geret, alius neutiquam. (Plato, *Resp.* 592b)

9.00-10.00 – Seminaria

Sessio I – Aloisius Miraglia (Academiae Vivarii novi): *Ubi situs sit locus Utopiae*

Cum de illis scriptoribus agitur, qui quidem de locis utopicis tractaverunt, scilicet perfectis et absolutis civitatibus ubi summa iustitia una cum civium concordia et maxima omnium laetitia conspirent atque convenient, haud raro ipsi tamquam miri somniatores apparent, quippe qui res humanas parum experti, nisi omnino expertes, sua figmenta prorsus divina condi atque stabiliri alicubi posse putaverint. Res ipsa tamen docet conamina omnia hunc mundum quasi in novum paradisum reddendi exitum minime felicem habuisse. Nimirum hi auctores non potentissimum quemque, sed eos qui altissima appetunt, suis consiliis admonere voluerunt, ut hanc pulcherrimam speciem Utopiae prae oculis habentes eaque animos alentes, numquam in pugna ad meliora et maiora impetranda hastam abiiciant.

Sessio II – Curtius Smolak (Studiorum universitatis Vindobonensis): *Quid intersit inter rem publicam Ciceronis et Augustini*

Quid intersit inter rem publicam, qualem Cicero claro illo opere optimam esse censuit, atque eam, quam Augustinus apologia in gentiles directa, quae inscribitur *De civitate Dei*, animo concepit, in tractatu habebitur. Quod ut manifestetur, quaerendum erit, quibus artibus argumentisque pater ille ecclesiae usus definitionem celeberrimam, qua Cicero rem publicam plane

esse rem populi voluerat, subverterit, ut novam rei publicae definitionem substitueret, qua non solum naturam atque indolem rei Romae aptius redderet, verum etiam ceterorum statuum condiciones complecteretur. Augustinum itaque ex industria voci, quae est *iustitia*, vim sermonis Christianorum vel Hebraeorum propriam patebit subdidisse.

Sessio III – **Michael von Albrecht** (Studiorum universitatis Heidelbergensis): *De Roma utopica apud Ovidium et Propertium*

Estne Propertius Augusti adulator? Putatne eam Romam, quae ab Augusto exstructa sit, aeternam fore, an eam, cui poeta carmine suo vitam sempiternam dederit? (Si tempus erit, pauca de Ovidi Tristibus et Epistulis ex Ponto addemus).

10.10-11.10 – **Seminaria**

Sessio I – **Francisca Deraedt** et **Gaius Licoppe** (Operis fundati Bruxellensis c. n. *Melissa*): *Ludovici Holberg (1684-1754)*, Nicolai Klimii iter subterraneum

Historicus, philosophus, comoediographus, Ludovicus Holberg anno MDCXXLI Hafniae et Lipsiae sine nomine publicandam curavit fictam itineris narrationem Latine conscriptam: *Nicolai Klimii iter subterraneum*. Phantastica narrationis forma auctori optimam occasionem praebet, qua mores hominum ridendo castiget... Latine, ne devota aula regis Christiani nimium offendatur sententiis libere prolatis.

Sessio II – **Claudius Piga** (Academiae Vivarii novi): *De Nusquamia “scientifica”*

Novae Atlantidis fabula, quam Franciscus Baco Anglice scripserat, viginti fere annis post eius obitum est in Latinum sermonem versa. Eo magis eius res publica absoluta et perfecta conferenda videtur cum Thomae Mori *Utopia* (quod opus est inde ab initio Latine excogitatum et exaratum) et Thomae Campanellae *Civitate solis* (quod opus Italice primum exaratum, tum ab ipso Campanella Latinis verbis est propositum). Sed quibus reipublicae gubernaculum tradendum sit? Iuxta Baconis sententiam respublica non philosophis, non sacerdotibus tradenda est, sed “verae” (idest utilis) scientiae venatoribus, quibus bene sint rerum causae compertae. Praelegantur loci selecti ex Baconis *Nova Atlantide*, Thomae Mori *Utopia* et Thomae Campanellae *Civitate solis*.

Sessio III – **Iula Wildberger** (Americanae studiorum universitatis Lutetiae sita): *Exempla aut praecepta? De Senecae epistula VI*

Epistula moralis ad Lucilium VI maximi momenti est si intellegere volumus propositum Senecae rationemque in toto illo opere conscribendo. Cur nos lectores non recta alloquitur sed quasi per litteras ad amicum missas? Quare non ordine exponit quae sentiat, singula suo loco tractans, ut in aliis de philosophia libris quos composuit? Una legemus illam epistulam VI, ut dispiciamus quomodo partes illius inter se et cum toto opere congruant et quid de illo significant. Disputabimus de definitione quae illic praebetur amicitiae. Quaeremus quid sibi velit Senecae exhortatio ut “simus inter exempla” (*Ep.* 98.14) et quomodo a praeceptis differant exempla illa Senecana, quae nonnullis in nusquamia potius quam in nostro mundo habitare videantur.

11.10-11.50 – Pausa

11.50-12.50 – **Seminaria**

Sessio I – **Accius Watanabe** (Studiorum universitatis Californianae a Davis nuncupatae): *Aethiopia qualis sit apud Heliodorum*

Heliodori, scriptoris temporis imperii Romani, opus notissimum est *Aethiopicorum libri* nominatum. Quo quidem in opere cum nonnulli Aethiopes partes agant et facinora in eorum terra fiant, patet haec parum veritati respondere. Videbimus ergo Aethiopiam Heliodori potius esse quasi speculum cultus civilis Graecoromani, in quo ostendantur et virtutes verae et voluntates non ad effectum productae ipsorum antiquorum.

Sessio II – **Iohannes Carolus Rossi** (Operis fundati c. n. *Latinitas*): *“Incolere, inhabitare, diligere secessum”*, de *Plinii Secundi epistula ad Gallum*

C. Plinii Caecilii Secundi epistula ad Gallum (II,17), qua Laurentinum suum ante oculos legentium perbelle proponit, explicabitur. Inde materia disputandi praebebitur quatenus utopiam in *topon* convertere liceat: aliud est enim “incolere, inhabitare, diligere secessum”, aliud vim rerum Naturae afferre, ut opes, quae sunt cunctis hominibus promiscuae, ad lucrum praedamque paucorum revocentur.

Sessio III – **Annula Llewellyn** (Catholicae studiorum universitatis Viomingensis): *De Utopia Americana*

Verba faciam de orbe novo quem nonnulli ut paradisum, alii vero ut inferos terrestres cecinisse videntur. Executientur loci e Columbeide Iulii Caesaris Stellae (a. MDLXIV-MDCXXIV) et e carmine c. t. *Plus ultra* a Iohanne Christiano Aloisio Michel a. MDCCLXVII edito.

13.00-14.00 – Prandium

14.30 – Participes villam Adrianam petent

IN VILLA ADRIANA

16.00-19.30 – Villa Adriana lustrabitur

20.00 – Cena, ab aedibus Municipii Tiburtini liberaliter oblata, in sic dicto “Templo Sybillae” Tibure sito apponetur

21.30 – Villa Estiensis lustrabitur

23.00 – Participes ad Academiam *Vivarii novi* redibunt

Iovis die xv m. Iulii

IN SEDE ACADEMIAE VIVARII NOVI

8.00-8.45 – Ientaculum

9.00-10.00 – **Seminaria de viis rationibusque docendi**

Sessio I – **Patricius Owens** (Catholicae studiorum universitatis Viomingensis): *Ut linguam Latinam ament*

Ut maritus uxorem ita discipuli linguam Latinam amare possunt hisce strophis adhibitis. Hoc seminario demonstrabo quomodo discipuli fabulis rescribendis aut fingendis grammaticam atque vocabula efficacius imbibant. Capitulum XIX libri de *Familia Romana*, quod “Maritus et uxor” inscribitur, tractabimus.

Sessio II – **Alexis Hellmer** (Academiae Vivarii novi): *Uritur infelix Dido*

Dum legimus Didonis miserabile fatum ex capite XL libri de *Roma Aeterna*, quaedam maioris momenti per vices explicabimus, propositis interrogatis sive a moderatore sive a ceteris participibus, ita ut, ex fragmentis brevibus per *variationem* et *amplificationem* fabulam iterum narremus. Postea vero per *imitationem*, mutatis personis et argumento, fabulam novam inveniemus, usi scilicet verbis, locutionibus et constructionibus ex ipsis Vergilii versibus eorumque interpretatione ab Ørbergio facta. Neque satis erit hoc fecisse, verum et fabellam quandam in scaenam producemus!

Sessio III – **Georgius Čepelák** (Academiae Vivarii novi): *Tristes diraeque noctes per metum vigilabantur*

Etiarne vos, cum parvuli essetis, noctu foras prodire timebatis? Itane? Ego quoque. Nec tantum nos, sed etiam antiqui de phantasmatis cogitabant. Videamus igitur quid Plinius Minor ad amicum de phantasmate quodam Atheniensi scripserit et quanta arte totam fabulam qua animus moveretur contexerit; quam quo melius intellegamus, eandem pelliculae cinematographicae instar agamus spectemusque; quae, utpote summa arte conscripta, nobis etiam optimam ad fabulam in scaena agendam atque stilum exercendum occasionem praebebit.

10.10-11.10 – **Seminaria de viis rationibusque docendi**

Sessio I – **Alexander Winkler** (Studiorum universitatis Monacensis): *Pericula maris, vitae, Latinitatis. Suntne pericula vera an ipsi fingimus illa?*

Tranquillo mari, iam in orbe finiente conspiciuntur nubila quae procellam afferent horridam: fulgura micant, tonitrua tonant, mare ventorum vi agitur atque turbatur. Itaque Lydia cum Medo magno tenentur timore: hic deos invocat varios, illa Christum orat atque etiam locos ex Sacra scriptura praebet, primos prorsus locos quos discipuli ex opere antiquo expromptos legunt. Ipsi denique multa pericula subeunt: modis coniunctivis agitantur, enuntiatis finalibus, consecutivis aliisque plurimis turbantur. Videamus igitur an vera sint haec pericula; an liceat etiam sine timore, immo cum delectatione quadam efficaciter haec omnia tractare.

Sessio II – **Ignatius Armella** (Academiae Vivarii novi): *Dialogus de contubernali portentoso atque terribili*

Inter multas ac varias vias, per quas magistri cum linguam Latinam docere, tum ad verum litterarum studium iuvenes adrigere conati sunt, paucae ad tam bonum exitum quam colloquia ab humanistis proposita duxisse videntur. Etenim copia verborum suppeditat, memoria confirmatur, actio exercetur neque deest iucunditas, cui si quis utile miscuit, omne, ut ait Horatius, punctum tulit. Nos igitur in hac sessione, adhibentes dialogum a Palmyreno, humanista Hispano, salibus, eruditione necnon prodigiis quibusdam sparsum eumque in scaenam producentes unde ansam ad Latine describendum capiemus necnon ad colloquendum inter nos, delectabimur simul atque discemus.

Sessio III – **Petrus Rivera** (Academiae Vivarii novi): *De arboribus philosophis et de simiis perrucatis*

Ludovicus Holberg, genere Danus, saeculo XVIII fabulam, cui nomen *Iter Subterraneum*, Gulliveri atque utopicorum itinerum vestigia secutus, de quodam viro nomine Nicolao Klimio, qui ad ima terrae descenderit, ubi mirificas et mirabiles gentes cognoverit, librum scripsit, quo vitia hominum Europaeorum irrisit. Conamen meum in hoc seminario erit demonstrare nos posse hoc libro usos vivide atque alacriter eum tractare et fabulis et exercitiis ut discipuli quodammodo moveantur, delectentur, alliciantur.

11.10-11.40 – Pausa

11.40-12.40 – **Seminaria de viis rationibusque docendi**

Sessio I – **Iosephus Marcellino** (Normalis scholae Pisanae): *Colloquia scholastica ab humanistis conscripta adhuc conducibilia esse*

Iohannes Ørberg magister Danus humanistarum vestigia premens exaravit libros qui *Lingua Latina per se illustrata* inscribuntur. Attamen recte monuit Eugenius Garin nonnullos homines abuti verbis quae sunt *ratio humanistarum*, quoniam sub his vocibus plures iacerent vires. Quapropter velim una cum huius seminarii participibus aliquot opera, quae mihi adhuc utilia esse videntur cum magistris tum discipulis recensere, quo melius patefiat quae fuerit humanistarum ratio, de qua saepe loquimur. Iam enim inde ab aetate renascentium litterarum multi humanistae conscripserunt lepidissima colloquia ut discipuli non modo erudirentur Latine, verum etiam delectarentur in ludo. Tum experiemur quomodo in nostri aevi ludis possimus haec colloquia vel certe aliquot horum operum fragmenta proponere discipulis.

Sessio II – **Iohannes Odstrčilík** (Carolinae studiorum universitatis Pragensis): *De I. A. Comenii rationibus linguae Latinae docendae discendaeque*

Quis linguae Latinae fautorum se omnino nescire, quid *Orbis pictus* ab Comenio conscriptus fuerit, fateatur, qui liber scholasticus, per multas gentes divulgatus atque multis variisque linguis vernaculis adaptatus, rationes linguas discendi, quibus nos utimur quasve admiramus, iam iam attingebat. Attamen *Orbis pictus* non nisi gradus primus ad perfectam linguae Latinae notitiam adipiscendam ab ipso Comenio habitus est, quem multi alii gradus sequerentur, inter quos Vestibulum et Ianua primas partes agunt. Nos autem hos aliosve Comenii libros scholasticos, eius lexica Latino-Latina, variaque alia utiliora percurreremus atque ipsi ut discipuli temporum, quibus Comenius floruit, eius rationes gustabimus.

Sessio III – **Eusebius Tóth** (Academiae Vivarii novi): *Stropha Alcaica, versus hexametri, dysticha elegiaca*

Ut modorum musicorum usus in poesi Latina tractanda comprobetur, hac ultima sessione tria alia genera versuum denique videbimus. Primum

Alcaicam stropham, quae in lyceis omnium difficillima atque maxime implicata esse dicitur (Horatii *Carm.* II, 3). Dein vero ad metrorum systemata celeberrima ac vulgatissima transibitur: ad hexametrum scilicet adque disticha elegiaca. Exemplo aliquot versus Lucretii (I, 1-9) atque Ovidii (*Trist.* I, 3, 1-24) afferentur.

13.00 – Prandium

14.30 – Participes palatium a gente Altieria nuncupatum petent

IN PALATIO A GENTE ALTIERIA NUNCUPATO

15.30 16.00 – Palatii lustratio

Seminaria – SCRUTARI NOVUM PELAGUS: *Commune humanae naturae fundamentum quaerendum.*

Cum hac persuasione vivendum est: “non sum uni angulo natus, patria mea totus hic mundus est”. (Sen. Ep. ad Luc. 28, 4)

16.00-17.00 – Seminaria

Sessio I – **Maurus Agosto** (Pontificiae studiorum universitatis Lateranensis): *Ostende mihi semitas tuas, doce me: ecclesia, conciliabulum consilii ad hominum societatis vitam componendam*

Temporibus, ut nunc sunt, difficillimis et in tanta ac tam repentina mutatione rerum, quid auctoritatis sit in doctrina, quam sociale vocant, Ecclesiae utiliter perpendi potest paginis Summorum Pontificum a Leone XIII ad Ioannem Paulum II qui fuerunt legendis; quorum in Litteris Encyclicis (Rerum Novarum, Quadagesimo Anno, octogesima Adveniens, Divini Redemptoris, Mater et Magistra, Gaudium et Spes, Populorum Progressio, Centesimus Annus, Sollicitudo Rei Socialis), quantum christifideles ad concordiam et prosperitatem civitatis prodesse valeant aptis ac bene inter se conexis rationibus ostenditur.

Sessio II – **Francisca Deraedt** et **Gaius Licoppe** (Operis fundati Bruxellensis c. n. *Melissa*): *Ioannis Genesisii de Sepulveda (1490-1573)*, De orbe novo

Sepulveda, humanista, theologus, Caroli V chronographus, historiam conscripsit quae ad inventionem orbis novi pertinet. Eo tempore, quo Hispani novum terrarum orbem invenerunt, factus est concursus duorum mundorum inter se adeo diversorum, ut alii dubitarent num autochthones essent humana anima praediti, alii quaerent utrum Hispani mortales essent an dei.

Sessio III – **Curtius Smolak** (Studiorum universitatis Vindobonensis): “*Roma loquitur*” – de personificationibus Urbis apud Ciceronem, Symmachum, Prudentium, Hildebertum Cenomannensem

Plato primus in litteris antiquis personificationem rerum incorporabilium cum homine quodam disserentium videtur induxisse, cum in dialogo, qui inscribitur *Crito*, leges Atheniensium Socrati capitis iam damnato persuadentes finxit, ne, etiam oblata occasione, e carcere fugeret. Constat inter philologos, quattuor saeculis post, Ciceronem, in prima oratione in Catilinam habita, orationem illam exhortatoriam allegorice enuntiatam imitatum esse, cum Italiam primum, deinde ipsam Romam se orasse atque obsecrasse autumaret, ut rem publicam a coniuratis tueretur. Aliis quattuor saeculis peractis, Q. Aurelius Symmachus, vir clarissimus, praefectus Urbi, qui religioni Romanorum antiquae favebat, Ciceronis vestigia premens, cum ab imperatoribus Christianis peteret, ut aram Victoriae deae in curia senatus Romani restitui iuberent, deam Romam aetate provectam et reverentia dignam imperatores humiliter precantem induxit, ut sibi liceret priscis moribus suis vivere, id est deos a maioribus acceptos colere. Ei personificationi Prudentius in carminibus, quae inscribuntur *Contra Symmachum*, ea ratione respondit, ut Romam religione Christiana renatam et omni vetustate liberatam imperatores alloquentem fingeret, ut reliquias gentilitatis funditus obliterarent. XI denique saeculo Hildebertus, episcopus Cenomannensis idemque poeta Latinus elegantissimus, itinere in Urbem facto, Romam barbarorum invasionibus laesam, misericordia commotus, verbis tristitiae plenis adit. Cui ipsa Roma respondet se nomine Christiano potentiolem redditam esse, quod animas hominum regeret neque, ut temporibus gentilitatis, corporibus tantum imperaret.

17.00-17.30 – **Pausa**

17.30-18.30 – **Seminaria**

Sessio I – **Dominicus Viain** (Studiorum universitatis a *S. Pio X* nuncupatae – Lutetiae Parisiorum): *Matthaeus Riccius, Nicolaus Rigautius – De Christiana expeditione apud Sinas suscepta a Societate Iesu (anno MDCXV)*

Illis qui Evangelium Christi ad Orbis terrarum fines usque adtulerunt, intime semper persuasum fuit familiam humanam una ex origine exortam, unam, Deo volente, in regno caelorum futuram esse. Hac de causa, non solum ad propagandam fidem, verum etiam ad humanitatem scientiamque veram colendam, linguam, terras moresque alienarum gentium persaepe scrutati sunt ac descripserunt, modo magna cum severitate, modo maxima cum indulgentia, semper studio, immo curiositate incensi. Matthaeus Ricci cuius nomen, ob *Lexicon linguae Sinicae* notissimum, ad caelum elatum est, commentarios de expeditione sua apud Sinas sermone Italico exaravit; quos in sermonem Latinum transtulit Nicolaus Rigautius, Iesuita ac socius. Ex quibus libris, nonnulla miranda vel faceta, animi causa, praelegenda elegimus.

Sessio II – **Maurus Pisini** (Pontificii Instituti Musicae Sacrae): *Quid humanitas, poetica, doctrina in Ioannis Pascoli carmine, quod Crepereia Tryphaena inscribitur, ad hodiernam Latinae poeseos notionem contulerint*

Poemation, de quo lector agit, sine dubio, principem locum tenet ex iis quae, in universo scriptoris opere, Poemata et Epigrammata inscribuntur, cum, praeter cetera carmina eiusdem, quae de historicis, vel litterariis sunt argumentis, ad Romanorum vitam pertinentibus, ipsum notas quasdam peculiare summi ponderis praebeat iis omnibus qui hodiernae poeseos Latinae indolem et attingere et investigare in animo habeant. In his enim versibus, adulescentes duo, sponsali foedere coniuncti, ex oblivione vindicantur, quorum puella, ante matrimonium morbo correpta, repente est e vivis erepta, Philetus autem, sponsus eius, submissis tamquam verbis in carmine inducitur ipsiusque animi aegritudo, propter Thryphaenae obitum, sublimi imaginandi vi a poeta effingitur. Praeterea, lineis fere universis non modo elementa quaedam inveniuntur—splendida dico ingenii lyrici specimina—quae cum ea vernacula carminum natura, XX saeculi propria, aptissime congruere videntur, sed etiam recentiores in poetando consuetudines, sine quarum cognitione et commercio, versus Latine facere, nostra aetate, inanis tantum exercitatio est. Denique, praeter variam itemque subtilem cum rerum, tum personarum descriptionem, id vero quod ex toto epicedio praecipuum

patet est indelebilis amoris vis nec non vinculum illud perpetuum quod, post saeculis innumeris, duo iuvenes etiam nunc videntur obstringi idque, demum, nos docet verum tantum amorem, ex hominum affectibus, talem esse qui, quovis tempore, seu fati, seu nostras vicissitudines exsuperare valeat.

Sessio III – **Michael von Albrecht** (Studiorum universitatis Heidelbergensis): *De communi naturae humanae fundamento apud Ovidium perspicuo*

Homo caelum et deum spectare potest, cetera animalia terram. Narrationibus primi libri *Metamorphoseon* demonstratur homini facultatem datam esse et ad bestiarum statum descendendi et ad deum ascendendi. Legendum propono primum librum *Metamorphoseon*. Inspiciatur etiam, si vultis, Pici Mirandulensis *De hominis dignitate oratio*, in qua narrat hominem sero in theatrum mundi intravisse, cum iam omnia loca occupata essent. Tum Deum illi permisisse, ut ipse locum sibi eligeret.

18.40-19.40 – **Seminaria**

Sessio I – **Antonius Antonioni** (Accademiae Vivarii novi): *De origine notionis iurum hominis apud philosophos et iuris consultos mediae aetatis*

De iuribus naturalibus singulorum hominum propriis (subiective igitur sumptis) iam factam esse apud canonistas saeculi XII mentionem observavit nuper Brianus Tierney, contra sententiam Michaelis Villey, qui ortum notionis iuris subiectivi a doctrina Guilelmi Occam philosophi saeculi XIV repetebat.

Sessio II – **Robertus Maier** (Studiorum universitatis Lipsiensis): Recentissima instrumenta computatoria quantum ad studium litterarum antiquarum conferant.

Proximis annis magno doctorum virorum totiusque litterarum reipublicae incremento, nonnullae rationes inventae sunt quibus licet, machinarum computatarum ope, thesauros et gazas antiquarum litterarum, tam Latinarum quam Graecarum, rimari, scrutari, pervestigare. Praeterito enim saeculo vergente, editiones digitabiles, quae dicuntur, omnium ferme auctorum classicorum coeperunt divulgari, quas initio, ob ingentem molem, difficile erat doctis librorum consuetudine imbutis tractare. Quibus autem editionibus, progredientibus annis, rationes in dies aptiores, usu faciliores, facultatibus locupletiores aptatae sunt ad accuratius venandum quidquid

litterarum studiosis notitia dignum esse videretur. Hac vero aetate, qua talia instrumenta locum praecipuum in hominum societate obtinent, disciplina litterarum potest etiam hisce frui beneficiis non ut moribus inserviat qui sunt in pretio, sed ut verum artumque vinculum cum hominibus, qui ante nos fuerunt, instituat, firmet, corroboret.

Sessio III – **David Money** (Studiorum universitatis Cantabrigiensis):
Ioannes Miltonus atque vatis amicitia

Inter Anglicae linguae scriptores celeberrimos, Miltonus (John Milton: 1608-1674) etiam multa magni momenti opera lingua Latina composuit. Excutiemus praecipue carmen cui titulus est *Epitaphium Damonis*, quo Miltonus cor suum intimum plus quam in scriptis Anglicis aperire videtur.

19.50-20-40 – Pellicula in memoriam et honorem Iohannis H. Ørberg monstrabitur

20.40 – Participes ad Academiam *Vivarii novi* redibunt

21.30 – Cena

Veneris die xvi m. Iulii

IN SEDE ACADEMIAE VIVARII NOVI

8.00-8.45 – Ientaculum

9.00-10.00 – **Seminaria de viis rationibusque docendi**

Sessio I – **Ignatius Armella** (Academiae Vivarii novi): *Nacti idoneam ad discendum tempestatem...*

Tot pericula, quot in mari sunt, tironibus in lingua Latina discenda imminet, nisi firmum et aptum gubernaculum tractemus; quae vero omnia hac in sessiuncula, vento secundo, superare conabimur. Interfuturis enim proponetur legendum capitulum XVI prioris voluminis illius libri qui *Lingua Latina per se illustrata* inscribitur, unde profecti variis exercitamentis propositis de *ablativo absoluto* verbisque deponentibus, inter nonnulla alia, nitemur ut ad portum sospites ac tuti reducamur.

Sessio II – **Iosephus Rojas**: *De Proverbiis Latinis eorumque usu in sermone cottidiano*

Hoc in seminario acturus sum de proverbiis Latinis a Carolo Pascal Phraseologiae Meissnerianae additis; quae quidem proverbia Latine, ope lexicī Forcelliniani, in quodam opusculo a me illustrata sunt. Proverbiis quibusdam expositis, dicturus sum de eorum usu iis qui sermone cottidiano eodemque satis puro integroque uti velint, allatis nonnullis exemplis atque testimoniis veterum auctorum. Ceterum, facilius forte erit discipulis nonnulla proverbia memoriae mandare, tamquam si ea ipsa in buccam venerint cum narratoris, tum personarum libri *Familia Romana* inscripti, aut alius cuiuslibet personae colloquii ad usum discipulorum scripti.

Sessio III – **Alexis Hellmer** (Academiae Vivarii novi): *De ortu Walwani nepotis Arturi*

Proponentur in hoc seminario partes iucundissimae illius operis media, quae dicitur, aetate ab auctore incerto conscripti, in quo agitur de vita Walwani (vulgo *Gawain*), equitis, inter omnes qui apud Arturum illum Britannorum regem versabantur, nobilissimi. Exercitamenta varia ad melius fabulam

intelligendam proponentur, in quibus *actio scaenica* et varii generis *colloquia* locum praecipuum habebunt.

10.10-11.10 – **Seminaria de viis rationibusque docendi**

Sessio I – **Annula Llewellyn** (Catholicae studiorum universitatis Viomingensis): *Latinitatem in scaenam producamus!*

Quam magno usui ad linguas discendas fabulae scaenicae ab ipsis discipulis compositae et actae sint nemo est quin sciat, adeo ut iam inde ab humanistarum temporibus et praesertim in Iesuitarum scholis ad Latini sermonis notitiam in discipulis corroborandam confirmandamque admodum crebro tales scholasticae comoediae aut tragoediae adhibitae sint. Hoc seminario quomodo res scaenica Latine discentibus aptata in docendo locum habere possit monstrabimus.

Sessio II – **Aloisius Miraglia** (Academiae Vivarii novi): *De W. H. D. Rouse docendi rationibus quantum adhuc valeant ad linguam Latinam efficacissime tradendam*

Inter linguae Latinae recentissimos restitutores, principem locum obtinet Villhelmus H. Rouse qui in Schola Persica Cantabrigiae sita linguas litterasque antiquas docuit. Etenim suis rationibus novis vividis atque summopere efficacibus, quasi caput et fontem condidit unde alii magistri methodo tralaticiae renuentes hauserunt inter quos etiam Orbergius ille citra dubium numeratur. Hac igitur in sessione illius praeclari doctoris, quin etiam novi humanistae agnomine digni, patrimonium nobis hereditate traditum prae oculis participum proponetur atque illustrabitur.

Sessio III – **Georgius Čepelák** (Academiae Vivarii novi): *Latine discere vis? Latinus fias!*

Omnia sponte fluant, absit violentia rebus. Versus, quem Iohannes Amos Comenius tota vita et opere est secutus, optime congruit etiam cum methodo qua Georgius Lozanov, origine Bulgarus, vult efficere ut discipuli sine omni timore, sollicitudine, violentia linguas discant omnesque sensus eorum tangantur, atque lingua ipsa menti memoriaeque uniuscuiusque firme imprimatur atque adhaereat; cuius methodi apud multas gentes receptae, quae vulgo suggestopedia appellatur, etiam exemplum quoddam praebere conabimur necnon videre quidnam emolumenti ad Latinitatem tradendam afferre possit.

11.10-11.40 – Pausa

11.40-12.40 – **Seminaria de viis rationibusque docendi**

Sessio I – **Omar López** (Academiae Vivarii novi): *Supinum est facile dictu*

Dum miser tabellarius ianitori persuadere conatur se nec pecuniam postulatam nec villam oppugnatum venisse, quomodo supinum et in *–um* et in *–u* desinens discipulis tradi possit hoc in seminario monstrabitur. Dein quod ad verborum formas pertinet, cum discipuli iam noverint omnes formas sive themata, tum demum valebunt exstruere sententias in quibus utantur quolibet verbi tempore. Denique exercitia ut memoriae verba nova mandent ostendentur. Methodo Ørbergiana innixi exercitia varia proponemus, praesertim *substitutionis* et *compositionis*.

Sessio II – **Alexander Winkler** (Studiorum universitatis Monacensis): *Iacobi Pontani S. I. Progymnasmata Latinitatis*

In *Progymnasmatum* praefatione Pontanus “Nihil” inquit “adolescentibus utilius, nihil iucundius dialogis, nihil etiam, pueris praesertim, perinde necessarium. [...] In dialogis ea discutunt, quae audiunt, quae aspiciunt, quae cogitant, loquuntur, experiuntur quotidie, quae sunt familiarissima, tractatissima, communissima, in quibus proprie, pure, et cum aliquo ornatu exprimendis semper haerent, semper inopes reperiuntur.” Ii Iesuitae, qui arti docendi studebant, magnam ex colloquiis (quae quidem “*Progymnasmata*” appellare Pontanus animum induxit) percipi posse utilitatem arbitrabantur. Quae enim colloquia legendo memoriaeque inculcando effecere, ut non solum Latinitatem et sermonis elegantiam addicerent discipuli, sed etiam ad humanitatem morumque integritatem allicerentur. Pro crustulis autem pueris dederunt blandi doctores facetias salesque quibus aspersa videmus colloquia. His dictis Pontani *Progymnasmata* et nostris discipulis legenda proponi neque insulsum neque inutile fore confido. Quod qua ratione quoque modo potissimum fieri debeat, hac in schola indagare conabimur.

Sessio III – **Eduardus Flores** (Academiae Vivarii novi): *Sententias conserendo, aures lepido susurro mulcere*

Textus, ut nomen ipsum denuntiat, sunt verba nexa cum sententiis quae versato stamine rerum intertexta apparent et argumentum sive summam

quamdam compositam et cohaerentem nobis praebent. Proponetur ita narratio fabulae Thesei et Minotauri (tamquam est in capite XXV *Familiae Romanae*) nonnullis adminiculis allatis (sonis, imaginibus, actione) ut in saltu uno duo apri capiantur: quo lepidior et delectabilior sit lectio, penitiusque inhaereant in animo notiones grammaticae. Hoc enim modo, discipuli, qui sententias ex ipso textu conflare debebunt, et lingua et facultate disserendi recteque disponendi argumenta (in animo et in oratione) utentur.

13.00 – Prandium

Seminaria – **VITAE, NON SCHOLAE**: *Iuvenes liberaliter ad humanitatem informandos, ut bonae litterae studiumque virtutis restituantur.*

Utinam tam claros praeceptores inducatis, ut in finitimis oppidis studia hinc petantur, utque nunc liberi vestri aliena in loca ita mox alieni in hunc locum confluant! (Plin. *Ep.* 4, 13, 9)

15.30-16.30 – Seminaria

Sessio I – **Maurus Agosto** (Pontificiae studiorum universitatis Lateranensis): *Quid sit humanitas*

Sessio II – **Maurus Pisini** (Pontificii Instituti Musicae Sacrae) : *De libro XV Annalium Taciti*

His capitibus I atque XV Annalium Taciti, e quibus lector potiora quaedam ad narrandum excerpserit, efficax impudicitiae spectaculum instruitur, quo usus et quod agens, Nero vel sui ipsius vitam consulto pervertit, vel singulare quoque Urbis incendium, ad dominatum demagogicum artius instaurandum ita usurpavit ut, dum depravatos mores scaenicis limat versutiis iisque publicos regni actus farcit, ignis ille funestus ei lautam praebeat ansam ad plebis consensum sibi iterum, post datos cum pane circenses, per fraudem acquirendum simulque roborandum.

Sessio III – **Paula Marongiu** (Lycei a *Dante Alighieri* nuncupati – Florentiae): *Petrus Angelus Bargaeus et Cosmus I Florentinus dux: quomodo humanae litterae ministras principi se praebuerint*

Petrus Angelus Bargaeus (Pietro Angeli da Barga) (1517-1596), qui adulescentulus anno MDXXX rem publicam contra Medices defenderat, iam vir

doctrina clarus, anno MDXLIX ex exilio Florentiam revocatus, operam navavit ut litteris Cosmi ducis imperium firmaret et sustentaret. Hoc seminario ostendere velim, nonnullis locis praesertim e commentario *De bello Senensi* excerptis, quomodo decursu temporum litterarum condiciones mutatae sint: humanistica rerum gestarum historia, quae saeculo XV ineunte (Cfr. Leonardus Aretinus) *Florentinam libertatem* laudibus sustulerat, saeculo XVI mediante fit fundamentum principis potestatis. Seminari structura haec erit: a) Pauca verba de Bargaeo e vita a se ipso composita deprompta; b) Pauca verba de bello (1552-1559) a Florentia contra Senam illato; c) Loci electi ex opere *De bello Senensi* exhibentur: exemplum iam non est Romana res publica sed principatus, ita ut Cosmus, quasi novus Augustus, fiat prudentiae, iustitiae, pietatis imago. Ceterum, ut apud Latinos auctores (e. g. Vergilium) accidit, virtus hostium aestimatur et laudatur; d) Versus ex *Cynegetico* et *Aucupio*, laudativis carminibus, legentur, quibus Bargaeus Tuscos reges ut Cosmi maiores et Franciscum Cosmi filium et heredem ut regem canit.

16.40-17.40 – Seminaria

Sessio I – **Andreas Fritsch** (Liberiae studiorum universitatis Berolinensis): *Quid homines docti nostrae aetatis de persona et vita Phaedri, fabularum poetae, opinentur*

Cum Phaedrus poeta in fabulis ait “ego, me, meus”, loquiturne revera de se ipso an induit personam et tantummodo simulat se esse hominem ignobili loco natum?

Sessio II – **Claudius Piga** (Academiae Vivarii novi): *De Deo et rerum natura, sive de “deismo” quem Voltarius Memmio tribuit*

Tres exstant Ciceronis ad Memmium epistulae, nihil autem fere de Memmio est nobis allatum. Tum Voltarius potestatem licentiamque sibi permittit ut quae de Deo, de rerum natura, deque hominum animo sentiat ipse, Memmio tribuat. Nempe per lusum asseverat se in Bibliotheca Vaticana eas invenisse epistulas ad Ciceronem scriptas, quae hucusque desiderabantur. Praelegeatur Ciceronis prima ad Memmium epistula, cui accedunt pauci loci ex Lucretii opere deprompti.

Sessio III – **Stephanus Di Brazzano** (Lycaei Tergestini a *Francisco Petrarca* nuncupati): *De Ioanne Reuchlin eiusque Scaenicis progymnasmatis*.

Agetur de nonnullis Academiis exeunte saeculo xv in Germania occidentali conditis consilio quorundam virorum doctorum, inter quos Ioannes Reuchlin, Iacobus Wimpfeling et Conradus Celtes praecipue laudandi sunt, in quibus iuvenibus novum institutionis genus praeberetur proponeretur offerretur, exemplis potius quam praeceptis fultum, quo lectio poetarum necnon fabularum recitatio ad pleniorum linguae Latinae familiaritatem eos duceret, quo postea facilius Christianis poetis et ecclesiasticis auctoribus incumbere possent vereque “humanistae Christiani” fierent. Ut exemplum praecipuum huius viae illustrabitur comoedia a Ioanne Reuchlin (1455-1522) anno MCDXCVII scripta cui titulus est *Scaenica progymnasmata* vel, a principis personae nomine, *Henno* (quam XXXIV annis post Ioannes ille Sachs Germanice vertit). Si tempus, auditorum numerus et vires suppeditabunt, partes comoediae choro, quem monodicum vocant, destinatae cantabuntur.

17.40-18.10 – Pausa

18.10-19.10 – **Seminaria**

Sessio I – **Gualtherus Calboli** (Studiorum universitatis Bononiensis): *De Catone*

Cato Censorius non mihi videtur a Graecorum imitatione tam constanter abstinuisse, ut ex iis, quae de Graecis senserit et scripserit, suspicari quis possit. Quod cum iam animadvertissem, cum de Graecorum locutionibus agerem, quae se in Latinae linguae syntaxin inrepsissent, nec tempus et paginas haberem, quibus hanc rem satis luculenter explicarem, aliud in tempus reservavi. Nunc tempus venisse videtur, quo huic quaestioni attentius incumberem. Explicandum est igitur, unde Cato locutiones duxerit, quibus est usus, et quam potissimum scribendi rationem secutus sit. Quod non ad rhetoricam modo pertinere dixerim, scilicet utrum Graecam rhetoricam Cato cognoverit necne –quod erit id ipsum prorsus non neglegendum–, sed num illis ipsis locutionibus, quibus Cato sit usus, aliquid Graeci suci et saporis afferretur, cum a Latinis et Romanis non Graeca tantum dicendi genera sumpta essent, sed ea quoque Latina et genera et enuntiata, quae iam quodammodo e Graecis, sive, qui Graeca

ipsa habitarent in terra, sive qui in Italiam venissent, ad Romanorum essent consuetudinem conformata. At fuere profecto nonnulla vere Latina, quae in precationibus invenirentur et ex antiquissimis Indogermanorum sermonibus ducta essent, quae in Catonis invenias sermone. Quantum igitur illis ipsis Catonis ratio dicendi debeat attentius iam dixerim investigandum attentiusque me profiteor, quantum possim, esse dicturum.

Sessio II – **Aloisius Miraglia** (Academiae Vivarii novi): *“Littera occidit, spiritus autem vivificat” – de molesta grammaticorum diligentia pariter cum turpi nostrae aetatis negligentia fugienda*

Falsa doctrina efficit ut hominis animus ad tristitiam deducatur et hebetudine languescat. Talis enim homo vitam ita consumit ob nimiam diligentiam in rebus grammaticis scrutandis ut in veram medullam numquam descendat. Doctrinã autem verã non teritur vita sed adeo locupletatur et augetur, ut vir doctus non modo conspiciatur sed ceteris hominibus prosit.

19.20-20.20 – Conclusio

20.30 – Cena

21.30 – Conventus edetur symphonicorum

Index moderatorum

Mauro AGOSTO (Pontificia Università Lateranense)

Michael von ALBRECHT (Università di Heidelberg)

Antonio ANTONIONI (Accademia *Vivarium novum*)

Stefano di BRAZZANO (Liceo *F. Petrarca* – Trieste)

Gualtiero CALBOLI (Università di Bologna)

Françoise DERAEDT (Fondazione *Melissa* – Bruxelles)

Vladislav DOLIDON (Università di Parigi VII)

Andreas FRITSCH (Università libera di Berlino)

Guy LICOPPE (Fondazione *Melissa* – Bruxelles)

Nancy LLEWELLYN (Università Cattolica del Wyoming)

Robert MAIER (Università di Lipsia)

Paula MARONGIU (Liceo *Dante Alighieri* – Firenze)

Matthew MCGOWAN (Università *Fordham* – New York)

Luigi MIRAGLIA (Accademia *Vivarium novum*)

David K. MONEY (Università di Cambridge)

Cleto PAVANETTO (Università Pontificia Salesiana)

Giacomo dalla PIETÀ (Università di Venezia)

Claudio PIGA (Accademia *Vivarium novum*)

Mauro PISINI (Pontificio Istituto di Musica Sacra)

Giancarlo ROSSI (Fondazione *Latinitas* – Città del Vaticano)

Kurt SMOLAK (Università di Vienna)

Bernhard TEUBER (Università di Monaco di Baviera)

Dominique VIAIN (Università *S. Pio X* – Parigi)

Akihiko WATANABE (Università *Davis* – California)

Iula WILDBERGER (Università americana a Parigi)

Index moderatorum de viis rationibusque docendi

Ignacio ARMELLA (Accademia *Vivarium novum* – Università Autonoma del Messico)

Alexey BELIKOV (Università umanistica di Mosca)

Jiří ČEPELÁK (Accademia *Vivarium novum* – Università Carolina di Praga)

Eduardo FLORES (Accademia *Vivarium novum* – Università Autonoma del Messico)

Alexis HELLMER (Accademia *Vivarium novum* – Università Autonoma del Messico)

Petr HONČ (Università Carolina di Praga)

Omar LÓPEZ (*Accademia Vivarium novum*)

Giuseppe MARCELLINO (Scuola normale di Pisa)

Bořivoj MAREK (Università Carolina di Praga)

Jan MORÁVEK (Università Carolina di Praga)

Jan ODSTRČILÍK (Università Carolina di Praga)

Patrick OWENS (Università Cattolica del Wyoming)

Pedro RIVERA (*Accademia Vivarium novum* – Università Autonoma del Messico)

José ROJAS (Instituto de Enseñanza Secundaria Virgen del Carmen – Cadice)

Özséb TÓTH (*Accademia Vivarium novum* – Università di Debrecen)

Pablo VILLAOSLADA (Università di Heidelberg)

Alexander WINKLER (Università di Monaco di Baviera)